



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Domus Æternitatis


Reserata, Et Ad Ingrediendum Quotidie Memorïæ cogitationibus,
Intellectûs considerationibus, ac voluntatis affectibus Aperta ; Serviet
quoque pro Concionibus; uti & pro Exhortationibus, in Agoniae Domini
Sodalitatibus

Domus Æternitatis Beatæ

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1713


[urn:nbn:de:hbz:466:1-50615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50615)





Th. 2929.


f. II
32.













DOMUS
ÆTERNITATIS
BEATÆ

RESERATA,
ET AD INGREDIENDUM

Quotidie,

Memoriæ cogitationibus,
Intellectûs considerationibus,
ac voluntatis affectibus

A P E R T A


à

R. P. JOANNE DIRCKINCK
Societatis JESU Sacerdote,

P A R S II.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SERVATIUM NOETHEN,
Anno M.DCC. XIII.

Superiorum permiffu & Privilegio.





SCOPUS HUIUS PARTIS.

Considerationum de æternis
Domûs beatæ gaudiis, finis
est I. considerantem, ad rerum ter-
renarum contemptum, bonorum
verò æternorum æstimationem,
suaviter & efficaciter perducere;
deinde ad spem desideriumque cæ-
lestis patriæ erigere; ad cordis pu-
ritatem, ad animi demissionem, ad
spiritûs fervorem, ad laborum, ad-
versitatûmque tolerantiam anima-
re, ac denique ad Domini Dei no-
stri, tanta præmia largientis, & Je-
su Christi Redemptoris nostri, ea
nobis promeriti, amorem impelle-
re; atque ita ad mortem beatam &
beatitudinem æternam disponere.
Miros enim effectus parit cælesti-
um rerum consideratio. *Intellectus*
cogitabundus, est principium omnis bo-

SCOPUS HUIUS PARTIS.

ni, inquit S. Augustinus. Consideratio rerum æternarum, *regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus*, ait Doctor mellifluus, L. I. de confid. Videre id est, in Vate Regio; cælestia bona considerante: *Quàm dilecta tabernaculata tua, Domine virtutum!* Psal. 83. 1. Quàm speciosa, quàm gloriosa, quàm jucunda! Hæc fuit ejus consideratio: ad quam mox in affectum erumpit, adeo ferventem, ut animo penè linqureretur: subdit enim: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* l. c. Imitare, mi Lector, cælum frequenter cogita & considera; cælum ferventer concupisce & desidera, cæli conditorem ardentè ama & lauda, ut eum in cælo amare ac laudare merearis in sæcula.

CON.



CONSIDERATIO I.

Domus beatæ æternitatis.

*Beati, qui habitant in domo tua, Domine,
in sacula seculorum laudabunt te.*

Psal. 83. 5.

I. Aprilis.

I. **C**ONsidera, tanta in Domo cælesti
reperiri gaudia, ut nemo mortali-
um ea dignè concipere aut explicare va-
leat. *Excedit vires, inquit S. Augustinus,
excedit facultatem eloquentiæ meæ, tran-
scendit capacitatem intelligentiæ meæ, illud
decus, illa gloria, illa celsitudo.* Serm. 44. de
SS. Interim tacendum non est; aliquid
etiam balbutiendo loquendum est, quod
& considerationi seruiat & affectui. Ob-
serua tamen; quidquid de tanta cæle-
stium bonorum magnitudine & affluen-
tia, aut cogitamus, aut loquimur, aut scri-
bimus, aut sapimus; cogitamus ut parvuli,
loquimur ut parvuli, scribimus ut

A 3

par-

6 *Domus eternitatis. Consideratio*
parvuli, sapimus ut parvuli, & pueruli
lallantes: ideoque, exemplo Christi, de
regno Dei loquentis, parabolis ac simili-
tudinibus uti cogimur; sic cælum cum
artificiosis, inauratâque Regum palatiis
comparamus, ut aliquâ ratione, ex un-
gue leonem, è vestigio pedem, ex um-
bra corpus, è lapide domum intelli-
gamus.

II. Extruxit Sapientissimus Regum
Salomon, Domum Domini, magnificam
fanè & elegantem, septem annorum spa-
tio, *nihilque erat in ea, quod non auro tege-
retur.* L. 3. Reg. c. 6. Fabricavit deinde
sibi domum in nemore Libani, tredecim
annorum decursu, amplitudine & orna-
tu regiae dignitati parem ad voluptates
& delicias regias. Filiae quoque Pharaonis
uxori suae præstantem, ac magnifi-
cam ædificavit domum, interiùs & exte-
riùs, à fundamentis usque ad summita-
tem parietum ex lapidibus pretiosis. l. c.
Verè ædificium incomparabile atque in-
æstimabile; sive artificium, sive pretium,
sive decorè spectes. Sed quid sunt domus
ejusmodi, ad Domum Dei, & Beatorum

Ubi

*Ubi vivis margaritis surgunt adificia;
Auro celsa micant tecta, radiante
triclinia?*

S. Petrus Damianus in hymno. Non sunt aliud nisi nidi hirundinum, aut cochleæ domi portarum. Aspice illam, nocturno tempore, stellis innumeris fulgentem; & dic: si ea sic foris coruscat, etiam oculis peccatorum & brutorum; quâ claritate radiabit intus oculis Sanctorum & Angelorum?

III. Lustra & alias sumptuosas mundi hujus fabricas; & idem formabis judicium. Pretiosa fuit Domus Neronis aurea; præstans Cyri Medorum Regis Architectura, à Memnone fabricata, illigatis auro lapidibus, septenique Orbis mirabilibus annumerata. Celebris fuit Alcinoi Phæacum Regis domus auro, argento, electro & Ebore fulgens, ab Homero descripta. L. 7. Odyss. Nec minus miranda fuit Indorum Regum regia tota imaginibus argenteis distincta, columnis aureis fulta, quam ex auro vites percurrerant. Alexand. L. 5. c. 24. Verùm quid omnes hæ structuræ, licet auro,

3 *Domus aternitatis. Consideratio*
gemmisque micantes, ad magnificum il-
lud palatium; quod Rex Regum ac su-
premus cæli terræque Monarcha inha-
bitat, in eoque gloriæ suæ divitias electis
manifestat? Crede mihi; hujus regiæ cæ-
lestis intuitu, cuncta mundi hujus pala-
tia, non nisi lutea mendicorum tuguria,
aut straminea opilionum mapalia sunt
æstimanda.

Affectus desiderii.

O Stellata numinis supremi regia! O
Domus magna, speciosa, admi-
randa, omnia Regum longè superans æ-
dificia! dilexi decorem tuum, & locum
habitationis gloriæ Domini Dei mei: ti-
bi suspirat peregrinatio mea, nocte ac
die: tibi inhiat cor meum: tibi intendit
mens mea; ad societatem beatitudinis
tuæ pervenire desiderat anima mea:
quando ascendam ad te? Quando mo-
rabor in te? O cæli architecte, & posses-
sor omnipotens! *Quando transibo ad il-
lam admirabilem & pulcherrimam Do-
mum tuam: ubi personat vox lætitiæ & ex-
ultationis, in tabernaculis justorum: Ubi*
est

Aprilis 1.

9

est sempiterna vita, sempiternè beata: ubi
est dies aternus, & unus omnium spiritus.
Concupiscit ac deficit anima mea, in atri-
tua. S. Aug. med. c. 37. & 17.

ORATIO

Pro felici æternitate obtinenda.
Considerationi indies subjungenda.

O Vera charitas! O æterna felicitas
& felix æternitas, Deus meus & om-
nia! Da nobis, quæsumus, te, æternita-
tè que beatam, tam clarè cognoscere,
tam sollicitè quærere, tam fervidè deside-
rare, & amare; tam profundè cordibus
nostris insculpere, tam strenuè pro ea
pugnare, laborare ac pati in terris; ut in
ea te facie ad faciem videre, amare &
glorificare mereamur in cælis. Per Chri-
stum Dominum nostrum. Amen.

2. Aprilis.

Consideremus nunc Domus hujus
cælestis magnalia, & præcipua
decora. In primis Domus Dei est magna,
ampla ac magnifica: unde magnitudi-
nem ejus perpendens Propheta Baruch,

A 5

præ

10 *Domus aternitatis. Consideratio*
præ admiratione exclamat : O Israel!
quàm magna est Domus Dei, & ingens lo-
cus possessionis ejus ! magnus est & non habet
finem ; excelsus & immensus. c. 3. 24.
Tantam verò magnitudinem quis nobis
mensurare poterit ? Si ex demonstratio-
nibus Mathematicorum , minima firma-
menti stella, decies octies major est toto
terræ globo ; quàm magna , quàm vasta
erit universa cæli fabrica , tantam stella-
rum multitudinem complexa. Sanè ejus
intuitu, mundus hic noster , non nisi pi-
lula, aut globulus est censendus.

II. Deinde Domus cælestis est *sana* ,
temperata, serena & amœna, nullis aëris
tempestatibus pervia; nullis ventis ac ter-
ræmotibus concussa; nullis fulminibus
ac tonitruis obnoxia ; sed in perpetua
temperie & serenitate uniformi perseve-
rans ; omnes incolas in jugi sanitate
conservans , atque ab omnibus morbis
ac morte liberans. *Nox ibi nulla*, inquit S.
Augustinus , *nulla tenebræ , concursus nu-
bium nullus, nec frigoris, ardorisve asperi-
tas ulla ; sed talis erit rerum temperies ,
quam nec oculus vidit , nec auris audivit,*
nec

nec in cor hominis ascendit; nisi illorum, qui eâ perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vite. Man. c. 17. Verè paradifus voluptatis & deliciarum, Gen. c. 2. 8.

III. Tertiò, Domus cælestis & munda, pura, nitida, ab omni labe & macula, tam naturali, quàm morali prorsus libera. Puris cæli civibus digna; digna quam Dei puritas infinita incolat; in eâque gloriæ suæ fulgorem ostendat: nam primò ut in hymno canit S. Petrus Damianus;

*Solis gemmis pretiosis hæc structura
nectitur:*

*Auro mundo tanquam vitro, urbis
via sternitur:*

*Abest limus, deest fœmus, lues nulla
cernitur:*

Nullus in ea reperitur pulvisculus, nullum in pavimento lutum, nullæ in parietibus telæ aranearum: sed cuncta in eo sunt decore ac nitore, ut omnium intuentium oculi, mentesque summe oblectentur. Deinde nulla ibi reperitur macula peccati: quia non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens,

12 *Domus aternitatis. Consideratio*
aut mendacium. Apoc. c. 21. 27. Nullus
in eam ingreditur impius, nullus habitat
iniquus, nullus intrat immundus, ait S. Gre-
gorius in Psal. 7. pœnit. Quin & omnis
ab ea peccati radix exulat: ibi enim nulla
viget passio, prava concupiscentia nulla,
nullum vitium, nullum tomitis incenti-
vum: sed mera ibi floret innocentia, ful-
get justitia, splendet castimonia; & ex-
cellentissima in omnibus sanctimonia
regnat.

Aspirationes.

O Domus Dei magna, domus immen-
sa! quando ex angustis hisce tugu-
riis, ad augustam tuam perveniam ampli-
tudinem? O domus salubris, domus se-
rena! quando ex hisce tempestatibus ac
procellis, ad tuam enatabo malaciam? O
munde immunde, munde in maligno po-
sita! quando te deseram, & in mundum,
sanctumque cæli transibo habitaculum?
Verum Domine, quis habitabit in taber-
naculo tuo, aut quis requiescet in monte
sancto tuo? Qui ingreditur sine macula &
operatur justitiam. Psal. 14. 1. Quare, ô
Chri-

Christiani, gloriæ cælestis candidati! si aspiratis ad hoc amplum, serenum, mundum, sanctumque tabernaculum; sectamini iustitiam, diligite munditiam, custodite innocentiam: *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam; sine qua nemo videbit Deum.* Hebr. c. 12. 14. Nemo in hoc magnum, amœnum & purum intrabit tabernaculum.

3. Aprilis.

PERpende denique, omiſſis pluribus aliis, quòd Domus hæc beata sit admodum dives & opulenta; in quam, omnia naturæ, gratiæ & gloriæ bona, quæ desiderari queunt, quasi pleno fluminis impetu, confluunt: *Gloria & divitiæ in Domo ejus*, qui est dives in omnes. Dominus Deus noster: Et tamen hæc Domus, præter morem hujus sæculi, est omnino pacata ac tranquilla, ab omnibus litibus, jurgiis & controversiis libera: quia nunquam auditur ibi *meum ac tuum, frigidum illud verbum*, omnium discordiarum seminarium: omnia enim bona, quæ istic reperiuntur, non unius privati sunt;

14 *Domus aternitatis. Consideratio*
sunt; sed omnibus communia. Non potest
esse aliquid in celo privatum, quod non fiat
commune; ubi tanta est unitas, sincera dile-
ctio, perfecta pax, invidentia nulla. S. Lau-
rent. Justin. L. de contemptu mundi.

II. Atque ex hoc capite Domus hæc,
Cœnobii, aut Collegii cujuscumque religio-
si ectypon, seu potius prototypon nun-
cupari posse videtur: in ea enim velut in
cœnobio eminenti ac perfecto, omnia
bona sunt ex asse communia. Ibi enim
est communis salus, communis habita-
tio, communis refectio, communis amor,
communis lætitia, communis lingua,
communis opulentia, communis gloria,
communis tranquillitas, communis secu-
ritas, communis jucunditas, communis
felicitas, communis æternitas, commu-
nis beatitudo, communis Deus. O bea-
tum cœnobium! ô divinum habitacu-
lum! *Ubi summa dilectio & unus omnium*
spiritus: ubi dispar est gloria singulorum, &
communis lætitia omnium: plena & perfe-
cta ibi regnat charitas, quia Deus est omnia
in omnibus. S. Aug. l. c.

III. In hoc religiosissimo domicilio,
cele-

celestique cœnobio, ducitur anima in
 triclinium, ut sine fame reficiatur, ut sine
 siti inebrietur: ducitur in dormitorium;
 ut sine torpore dormiat: ducitur in ora-
 torium, ut ibi sine tædio oret, Deumque
 laudet: ducitur in claustrum, ut ibi sine
 fastidio sedeat & quiescat. *Pectus* \int *ESU*
ibi est refectorium: *sinus* \int *ESU*, est ibi
dormitorium; *vultus* \int *ESU* est ibi orato-
 rium; *longitudo*, *latitudo*, *sublimitas* &
profundum \int *ESU*, est ibi claustrum; *con-*
fortium \int *ESU*, & *omnium Beatorum*, est
ibi capitulum. Petrus Cellensis L. de
 pan. c. 7.

Desiderium Domus celestis.

O Domus Dei opulenta! Domus cha-
 ritate plena, Domus eminenter reli-
 giosa, ac bene ordinata, omnia habens
 communia, quando tuus ero incola?
 Quando in te reficiam, inebriabor, quie-
 scam, laudéque divinas sine fatigatione
 depromam? *O Hierusalem Domus Dei a-*
terna, post Christi dilectionem, tu esto latitia
& consolatio mea; dulcis memoria tui bea-
ti nominis, sit relevatio mæroris, tædiorum-
que

16 *Domus aternitatis. Consideratio
que meorum. O quam mira, quam pulchra,
quam acceptabilia, sunt Domus tua habi-
tacula, Domine virtutum! Concupiscit in-
trare in ea, hac peccatrix anima mea. Do-
mine dilexi decorem Domus tua, & locum
habitationis gloriae tuae. S. Aug. med. c. 20.
& 37. Ut in eo aeternum habitem, & bea-
tus inter beatos, perpetuo te laudem &
glorificem. Beati enim qui habitant in do-
mo tua, Domine, in secula seculorum lau-
dabunt te. Psal. 33. 5.*

CONSIDERATIO II.

Primus ingressus Domus beatæ
aeternitatis.

*Intra in gaudium Domini tui. Matth.
cap. 25. 21.*

4. Aprilis.

I. **C**ONSIDERATÂ domo cælesti, perpen-
de, qualis, quantâque animæ bea-
tæ, in primo ejus ingressu, futura sit læ-
titia; quanta mentis exultatio, & quasi li-
quefactio. Sed quis eam vel mente con-
ceperit, vel verbis expresserit? Gloriosi
hujus, lætisque introitus typum nonnul-
lum

lum habemus in Israelitis, è Babylone Hierosolymam reductis, magno honore & gaudio; de quibus Baruch Propheta c. 5. 6. ait: *Portatos esse in honore, sicut filios regni.* Quando velut Regum filii magnificè revedti, in curribus & equis, cum musicis & cantoribus, cum tibiis & tympanis. O quanto cordis gaudio! Cogita hîc; si tanta est lætitiâ redeuntium ex una urbe terrena in aliam, è Babylone Hierosolymam: quanta erit animæ beatæ exultatio ac jubilatio, dum ex hoc mundi exilio & captivitate, in Hierosolymam caelestem migrat, statumque veræ libertatis, ac beatæ æternitatis ingreditur. Quando nimirum S. Angelus Tutelaris, prolata à Judice supremo, felici sententiâ, animam suscipiet, eamque celerrimè deducet, supra terram & turrium montiumque fastigia, supra aëris regionem & cuncta sublunaria; supra solem, lunam & reliqua firmamenti sidera; atque in augustum illud summi Numinis palatium introducet. Quantâ utriusque voluptate & animi gestientis lætitiâ?

II. Considera ulterius, ubi anima in
cale-

18 *Domus aternitatis. Consideratio*
caelestem aulam jam introducta fuerit ;
quanto gaudio afficietur sanctissima Tri-
nitas, quando animam à se creatam, tam-
que sibi gratam, superatis mundi flucti-
bus, ac periculis, in portum salutis felici-
ter inuectam conspiciet, eamque tan-
quam filiam dilectam suscipiet, dicens:
Surge prope amica mea, speciosa mea;
jam hyems transiit; imber abiit & recessit.
Quanto gaudio Dominus JESUS, Pa-
stor bonus oviculam, sanguine suo re-
demptam, atque è faucibus lupi inferna-
lis ereptam, jam in tuto locatam inveniet
Quàm amœnâ facie, quàm blandâ voce
eam invitabit; *Veni amica mea, formosa*
mea, columba mea, in foraminibus pe-
træ, in caverna maceræ; ostende mihi fa-
ciem tuam; sonet vox tua in auribus meis:
vox enim tua dulcis & facies decora.
Quanto gaudio exultabit, beatissima
Virgo Maria, quando drachnam amif-
sam, ac diligenter quæsitam (animam di-
co peccatricem) demum repertam, cæ-
lòque insertam videbit? Nonne dicere
poterit cæli civibus: *Congratulamini mi-*
hi, quia inveni drachmam, quam per dide-
ram? Lucæ c. 15. 9.

III.

III. Ad hæc, quanto gaudio Genii cælestes perfundentur, cùm sedem unam spiritûs apostatici, ab anima illa occupari atque repleti cernent? Si enim *Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore, pœnitentiam agente.* Lucæ c. 15. 10. Quantum gaudium erit super anima, cælum feliciter ingrediente, throni sui possessionem capiente; Deumque cum ipsis in æternum laudante? Quanto gaudio replebuntur homines beati? Quanto jubilo ac solatio, Parentes filios; filii parentes; cognati cognatos; consortes ejusdem nationis, patriæ, statûs, ordinis, societatis, conditionis, ac cohabitationis, consortem excipient, tum ex amore benevolentia, tum etiam ob gloriæ propriæ augmentum & duplicationem? Quanto denique gaudio & exultatione replebitur ipsamet anima, quando à Sacrosancta Triade, à Christo Redemptore, à Beatissima Virgine, cæterisque Angelis & Sanctis, in cæli aditu excipietur, amplexu stringetur, laudibus evehetur, gratulationibus salutabitur, atque in promerita honoris sede collocabitur?

Collo-

Colloquium.

O Anima mea! ut gaudio tanto, tantâque beatitudine digna reddaris; quid laboris & molestiæ non suscipies? Quid quantumvis arduum recusabis? An non æquum omnino est, ut in omni vita tua, toto conatu, servitio Dei totam te impendas, ut opera Christiano digna & heroica obeas; ut justitiam sitias fervore infatiabili: de virtute in virtutem progrediaris labore infatigabili; divinam gloriam promoveas, atque ad Dei tui possessionem & fruitionem aspireas amore inexplebili? *Hoc fac & vives.* Hoc fac, & sanctum Angelum tuum, totûmque cælum mirificè recreabis; pro beneficiis in te collatis gratiam te exhibebis; & in gaudium Domini læta, intrabis.

5. Aprilis.

I. **C**onsidera porrò: postquam anima jam in cælesti palatio constituta, atque in sua gloriæ sede locata fuerit; ubi oculos elevans circumspexerit, ac tam nova, tam mira, tam rara, tam pulchra vide-

viderit, quâ, obsecro, lætitiâ, & voluptate perfundetur? Quâ admiratione & consolatione complebitur? Quando nimirum intuebitur & possidebit Domum novam, in mundo relictâ, millies elegantiore: patriam novam, terrenâ millies amœniorem: novos concives sole splendidiore: civitatem novam, velut sponsam exornatam: novam vitam, omnibus adversis liberam: novas divitias, novas delicias, nova gaudia, nova bona; cœlestia, divina, æterna, qualia in hac vita, nec ipsa, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt?*

II. Accipe similitudinem. Si cuipiam cæco nato, jamque triginta annorum viro (veluti olim Bartimæo, Marci c. 10. 47.) subitò aperiantur oculi; quâ, quæso, voluptate & exultatione, quâ admiratione & cordis jubilo cumulatur, dum videt, nunquam antehac visa? Dum intuetur solem, lunam & sidera: terram ejusque tam varia germina & animantia: aërem ac tot volucrum speciosarum agmina: maria & flumina, totque mirapiscium genera? Ita pariter ac multò magis,

12 *Domus aternitatis. Consideratio*
magis, in primo cæli introitu, lætitiâ in-
enarrabili, & admiratione maximâ com-
plebitur anima, ac suo tempore, etiam
corpus voluptate mirâ afficietur, quan-
do videbit, audiet, gustabit, odorabitur,
ac palpabit, tanta Domûs cælestis ma-
gnalia, objectâque mirabilia.

III. Quando nimirum videbit & posi-
sidebit, firmamentum novum, sed absque
stellis: Sancti enim, *fulgebunt quasi stella in*
perpetuas aternitates. Dan. c. 12. Quando
videbit, cælum novum, sed absque sole:
quia sol ejus est Deus: *Claritas Dei illu-*
minat eam, & lucerna ejus est Agnus. A-
poc. c. 21. 23. Quando videbit & calca-
bit terram novam; sed sine dolentibus,
sine lugentibus, sine morientibus: quo-
niam *Mors ultra non erit, neque luctus, ne-*
que clamor, neque dolor. Apoc. c. 20. 14.
Quando videbit flores cælestes immar-
cessibiles; fructus indeficientes; arbores
in anno duodecies fructus novos profe-
rentes. Apoc. c. 22. Fontes in vitam æter-
nam salientes. O quali, hæc cernens,
hîsque jam fruens, lætitiâ & consolatio-
ne redundabit anima!

Para

Aprilis 5.

25

Paranesis..

O Christiane! hæc perpendens; jam inardescis patriæ cælestis desiderio; jamque illuc cupis emigrare; ubi te gavisurum speras sine fine: jam gestit animus ad illa nova, mira, rara & pulchra, evolare ut locum deliciis perfruaris: sed non est ad astra, mollis è terris via. Ad tam inusitata præmia, perveniri non potest, nisi per magnos, indefessosque labores: delectat ergo te magnitudo præmiorum: sed non deterreat certamen laborum. *Labora igitur sicut bonus miles Christi; labora alacriter, pugna fortiter, certa viriliter: Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. 2. Tim. c. 2. 5.*

6. Aprilis.

I. **Q**uanto, post hæc, gaudio, anima beata demulcebitur: dum videbit, atque observabit, prorsus aliam rerum faciem, ac statum in cælo, atque assueta fuerat in mundo. Quando videbit cælestia non transitoria esse ac vana, sed esse mera æterna, mera permanentia ac
B **stabi-**

24 *Domus aeternitatis. Consideratio*
stabilia bona, nullis fluxis, caducisque
permista? Quando videbit, domum aeter-
nam, non manufactam in caelis, aeternos
Angelos, aeternos Sanctos, aeternas coro-
nas, aeternos thronos, aeternas volupta-
tes, ac thesauros aeternos? sed in primis,
quando videbit facie ad faciem, aeternam
Numinis supremi majestatem, divinita-
tem, gloriam? Illud aeternum summum
& stupendum Ens entium; essentiarum
oceanum, originem omnium originum,
ens per omnia ineffabile, ens ante omnia,
ens sine omnibus, ens à seipso solo, ens
à nullo alio, neque cum ullo alio, nisi
quod est ab ipso. O ens admirabile! O
inexhaustum omnium rerum mare,
quantâ spectaberis voluptate!

II. Ulteriùs quàm amabili & inexpli-
cabili dulcedinis gustu, pascetur anima,
cum statuetur in conspectu, stabitque
coram Sacrosancta Trinitate, Patre, Fi-
lio, & Spiritu sancto, omnis dulcedinis,
suavitatis & amoris fonte? Quid enim
dulcius Patre, ac tanto Patre, tam miti,
elemente & misericorde? Quid suavius,
JESU Christo, Salvatore nostro, qui
totus

26 *Domus aternitatis. Consideratio*
simulque conspiciens, ex eodem creata
omnia velut stillulas promanare: ita ut
clare distincteque cognoscat, quomodo
scaturiant, profluant, ac sint ab uno om-
nia, per unum omnia, in uno omnia, à
quo, per quem, in quo omnia? Quantâ
voluptate possidebit, quanto sapore de-
gustabit, quantâ oblectatione amabit, il-
lud summum bonum, omne bonum,
omnia bona, omnis boni pelagus, in-
finitum; à quo omne bonum, sine
quo nullum bonum, extra quem nihil
bonum; sed omne malum? Quantâ sua-
vitate percipiet, quantâ delectabilitate
sentiet, illam ubertatem, illam satietatem,
illam plenitudinem, illam sanctam ebrie-
tatem, illam amabilitatem & dulcedinem
infinitam? O quis hæc incomprehensi-
bilia capiat, ineffabilia explicet, intelli-
gat inaudita?

Colloquium.

O Anima mea! quanta erit illa gloria;
quàm mira lætitia; quando in do-
mo beatæ æternitatis, alium rerum sta-
tum conspiciemus, cunctâque bona, sta-
bilia,

bilia, permanentia ac perpetua experie-
 mur? Quæ lingua dicere, quis intellectus
 capere sufficit, quanto stupore, amore &
 gaudio staturi simus in conspectu ado-
 randæ Triados, & in ea visuri, grandia
 illa, arcanaque magnalia, Beatis in cælo,
 quasi reducto sipario, revelanda? Illud
 pelagus sine fundo & littore, omnium re-
 rum creatarum; illum oceanum inex-
 haustum omnium honorum; illum abyf-
 sum omnis dulcedinis, ubertatis, pleni-
 tudinis & amabilitatis? Quantæ felicita-
 tis erit, gloria Conditoris assistere, præsen-
 tem Dei vultum, atque in eo tot admiran-
 da, cernere, incircumscriptum lumen vi-
 dere, & incorruptionis perpetua munere
 latari? S. Gregor. hom. 37. in Evang.
 Hæc spera, hæc ama, hæc acquirere la-
 bora, anima mea, hæc toto corde desi-
 dera; ut desiderium omne tran-
 seat in gaudium.



CONSIDERATIO III.

Mansiones Domus beatæ æternitatis.

In domo Patris mei, mansiones multe sunt. Joan. c. 14. 2.

7. Aprilis.

I. **P**ost consideratam domum Beatorum, ejusque ingressum, leva mentis oculos & aggredere considerationem cælestium mansionum. In cælo est mansio, in hac vita transitus; in cælo habitatio stabilis ac perennis; hîc incolatus, e quo brevi emigrandum est. Præclare id ostendit S. August. in Psal. 60. *Paucis, inquit, diebus hîc vivimus & transimus; inquilini enim hîc sumus; habitatores in cælo erimus: Ibi nobis Dominus mansiones dabit æternas: multe sunt, inquit Christus, mansiones, apud Patrem meum; mansiones illas, non tanquam inquilinis dabit; sed tanquam civibus æternam mansuris. Sunt autem mansiones multæ; quia cives multi & innumerabiles; sunt mansiones diversæ; quia diversa incolarum merita: sunt mansiones aliæ aliis, clariores, & melio-*

meliores, quia cives sunt alii aliis illustriores. *Alia est claritas solis, alia claritas luna, alia stellarum: stella enim à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* 1. Corinth. c. 15. 41. Sed

II. Lustra nunc mansiones singulas, & cogita te à Genio tuo tutelari circumduci, per cælestem Hierosolymam, & mansiones istas ab eo, quasi digito tibi demonstrari. Hic est thronus & mansio Dei optimi, maximi; qui ex ea, divinitatis suæ radios, in omnes alias mansiones diffundit, earumque incolas, collustrat, accendit, recreat, beat in omnem æternitatem. Ibi est thronus & mansio Christi Domini, Agni immaculati, qui velut sol lucidissimus, inter Sanctorum sidera radiat, omnesque luce suâ gloriosâ perfundit, æternùm recreat & oblectat. Hic est mansio beatissimæ Dei genitricis **MARIÆ**, Sanctorum omnium Regina; quæ micat inter omnes, velut inter ignes luna minores, & aspectu suo amabili, omnes lætitiâ singulari afficit. Ibi sunt mansiones Seraphinorum, Cherubinorum, aliorumque Sanctorum Ar-

30 *Domus eternitatis. Consideratio*
Changelorum & Angelorum, qui, sicut
Stellæ à stellis, ita claritate differunt aliis
ab aliis, & fulgent in perpetuum.

III. Sed progrediamur ulterius. Hic
est mansio Patriarcharum, olim sincerâ
in Deum fide illuminatorum; ideoque
instar margaritarum & unionum
mirè nitentium. Ibi est mansio Prophe-
tarum, spe firmâ olim in Deum erecto-
rum, ideoque nunc instar Smaragdorum
suavi virore micantium. Illic est mansio
Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque
virosum apostolicorum, ob Evan-
gelium mundo annuntiatum, Christi que
amorem & confessionem, instar pyropo-
rum igneo fulgore radiantium. Istic est
mansio Martyrum; ob sanguinem pro
fide & Christo profusum, instar carbun-
culorum, quasi roseo splendore coruscanti-
um; majori vel minori luce, prout eor-
um merita majora vel minora extiterint.
*Mansiones enim pro suo quisque accipit
merito. Est quidem unus denarius equalis,
id est vita eterna; sed sunt diversa merito-
rum dignitates, splendores & honores.*
S. Aug.

Para-

Parænesis.

O Christiane athleta ! non habemus
 hîc manentē civitatem; sed futuram
 inquirimus, ubi datur mansio perpetua,
 absque transitu. Quare consilium Apo-
 stoli sequere 1. Tim. c. 6. 12. *Certa bonum
 certamen fidei, apprehende vitam eter-
 nam, ejusque varias mansiones & digni-
 tates; omni studio, in hac vita mortali,
 tibi comparandas: quas si bene appre-
 henderis; ad puritatem Angelorum, ad
 fidem Patriarcharum, ad spem Prophe-
 tarum, ad charitatem Apostolorum, ad
 patientiam constantiamque Martyrum,
 pro modulo tuo, aspirare non desines, &
 toto conatu contendes. Id si feceris;
 quàm felix, quàm beatus eris? & cum
 Præsule Hipponensi exclamabis: *Felix
 anima mea, sempérque felix in secula, si
 intueri meruero, O domus beata! glo-
 riam tuam, beatitudinem tuam, pulchritu-
 dinem tuam, portas & muros & plateas
 tuas, & mansiones tuas multas, nobilif-
 simos cives tuos, & Regem tuum
 in decore suo.* Med. c. 25.*

8. Aprilis.

I. **P**ergamus, & Confessorum mansio-
nem amplissimam, varias in se man-
siones, seu classes complectentem, lustre-
mus. Prima est mansio Ecclesiæ Docto-
rum, in qua sancti Gregorius, Ambro-
sius, Augustinus, Hieronymus, Basilius,
Chrysostomus, aliique multi velut stella
refulgent: quia Verbum Dei prædican-
do, volumina docta conscribendo, hære-
ses refellendo Ecclesiam Dei mirificè il-
lustrarunt. O quanta est illorum, præ
sanctis indoctis gloria! *Solent nonnulli
querere, ait S. Hieronymus, utrum do-
ctus sanctus & simplex sanctus eandem
mercedem habeant, & unam in celestibus
mansionem: asseritque tantum fore dif-
crimen, quantum est, inter splendorem
universi firmamenti, & lucem unius si-
deris; idque ex verbis Prophetæ eruit
& ostendit: Daniel ait justos fulgere sicut
stellas, doctos quasi firmamentum. Deinde
subdit: Vides quantum inter se distent,
justa rusticitas, & docta justitia; alii stellis,
alii celo comparantur: quanguam juxta
hebrai-*

hebraicam veritatem, utrumque de eruditis possit intelligi. Epist. 103. ad Paulinum.

II. Altera, inter Confessores, mansio est Archi Episcoporum, Episcoporum, Præsulum, Pastorum, Sacerdotum: qui populum sibi commissum oratione, verbo & exemplo fideliter paverunt, ad justitiam erudierunt, purgarunt, illuminarunt, perfecerunt: adeoque juxta Apostolum, *qui laborant in doctrina & verbo, duplici honore digni sunt*: duplici gloria coronantur. Hos inter eminent SS. Eucharis, Valerius, Maternus, Suiberus, Ludgerus, alique sexcenti. Tertia est mansio Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, aliorumque sanguine illustrium, qui profapiam suam heroicis virtutibus condecorarunt, in quibus maxime splendent SS. Henricus, Eduardus, Canutus, Wilhelmus, Leopoldus, & alii plurimi. Quarta est mansio Religiosorum, sub Ducibus & Fundatoribus suis, ope votorum ac regularum suarum, ad perfectionem excellentem evectorum. Quinta Eremitarum in solitudine rigidam vitam

34 *Domus aternitatis. Consideratio*
vitam amplexorum. Sexta Conjugato-
rum, licet in cælo non nubant, neque nu-
bantur, sed sint sicut Angeli Dei.

III. Peculiarem adhæc mansionem
obtinent Virgines, quæ spretis carnis
mundique illecebris virginitatem suam
Deo & Christo cælesti Sponso consecra-
runt, ideòque *Agnum sequuntur, quocum-*
que ierit. Ultima demum mansio est pue-
rorum innocentium, accepto baptismi
lavacro, ante rationis usum, deceden-
tium. In omnium autem mansionum in-
colis, tanta est gloriæ & præmiorum di-
versitas, quanta est operum & merito-
rum inæqualitas. *Quoniam, in electis, in-*
quit S. Gregorius, in hac vita est discretio
operum; in alia quoque vita erit, procul
dubio, discretio dignitatum: Et quò hinc al-
lius alium superat, illic alius alium retri-
butione transcendat: Et quamvis in illa
retributione, dignitas eadem non sit, una
tamen omnibus vita beatitudinis erit. L. 4.
Moral. c. 32. Unus igitur denarius est vi-
ta æternæ, sed dispar claritas & gaudi-
um: aliud siquidem est gaudium expe-
rientiæ; aliud affectionis & voluntatis;
illud

illud in beatis dispar, hoc par est.

Colloquium.

O Anima mea! ardentne tibi præclaræ istæ, & excellæ cælitum mansiones? si ita: in hac vita tuam tibi præpara & adorna: nullum laborem, nullum studium, nullam fatigationem, nullam instructionem, doctioem, prædicationem pro gloria Dei & salute proximorum detrecta: cùm eò sit mansio & gradus in cælo sublimior; quò hîc labor & pugna difficilior. Una enim precatio, exigua eleemosyna, modica sui abnegatio; una verbi divini prædicatio, una doctio, una lectio, una rudium in fide & moribus instructio, ad celsiorem, in Domino æternitatis beatæ, gloriam promovet. Libens igitur ista aggredere: ut & in hac vita & in futura, merearis Simonis, Oniæ filii, præconium: *Quasi stella matutina in medio nebule, & quasi luna plena in diebus suis & quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei.* Eccli. c. 50. 6. Ob verbum & exemplum, ob doctrinam & vitæ sanctimoniam; atque in templo

B 7

cæle-

36 *Domus eternitatis. Consideratio*
cælesti refulgebit in mansione ac statione
sua, in perpetuas æternitates.

9. Aprilis.

I. **P**Erpende denique, licet in Domu
Patris cælestis, mansiones multe
sint; id est diversa præmia, secundum me-
rita; nulla tamen inter Sanctos, regna
invidia: sed omnes suis mansionibus
gradibus, thronis, & gaudiis omnino
contenti, acquiescunt. Quemadmodum
enim in opiparo convivio; nec puer vi-
ro largioris cibi sumptionem; nec frater
minor majori, longiorem vestem; nec
membrum corporis, alteri membro al-
tiorum locum, aut functionem invidet,
ita in cælo, alter alteri, nec cibum, nec
vestem, nec dignitatem sublimiorem in-
videt; sed potius gaudet, quia suus sibi
cibus & locus, sua sibi vestis gloriæ con-
venit, non alia. Summa igitur inter om-
nes Sanctos est consensus, velut in citha-
ra, aut quatuor vocum musica: ubi fides,
vocesque sunt diversæ, una tamen & sua-
vis harmonia & symphonia. *Habebunt,*
inquit Augustinus, tunc etiam Sancti dis-
ferent

ferentias suas consonantes, sicut concentus fit suavissimus, ex diversis quidem, sed non adversis sonis. In Psal. 150.

II. Duplex autem hujus consensio- nis causa est, nimirum charitas, ac bono- rum cælestium immensitas. Et primò quidem charitas, quæ omnibus Domûs beatæ mansionibus velut regina impe- rat; quàmque pax, lætitia, concordia, af- fabilitas, tranquillitas & satietas, tan- quam pedisequæ comitantur. *Quoniam Deus charitas est*, inquit Augustinus, *per charitatem fit, ut quod habent singuli, com- mune sit omnibus*; sic enim quisque etiam ipse habet, quia amat in altero, quod ipse non habet. Hinc tantùm unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo in- effabili gaudio, & quot socios habebit, tot gaudia habebit. Quia amant sine fastidio & in hac dilectione requiescunt, pleni Deo & adherentes semper beatitudini sunt beati, contemplantes semper æternitatem sunt æ- terni, juncti vero lumini, facti sunt lux. Tom. 3. L. de spir. & an.

III. Considera ulterius charitatis hu- jus sinceræ effectus: Ibi, ait S. Gregorius, **Virgo**

Virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito: ibi vidua exultabit de castæ virginitatis privilegio: ibi Confessor, de Martyris jucundabitur triumpho: ibi Martyr tripudiabit de Confessoris bravio: ibi Propheta laudabit de Patriarcharum conversatione; ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide; ibi Apostoli & Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum: ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona superiorum: charitas enim omnia facit omnibus communia. L. 4. moral. c. 42. Huic causæ accedit immensitas bonorū cælestiū: tanta enim est hæreditas illa, Thesaurus ille, lætitia illa; ut millions millionū Beatorum locupletare, oblectare & satiare valeat, absque omni cuiusquam defectu & imminutione. *Hæreditas Christi, quâ heredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate coheredum: sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus; tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquendo retia: quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium; regnum De-*

*tantum valet, quantum habes; da te ipsum
& habebis illud. S. Aug. in Psal. 49.*

Aspirationes.

O Felix mansio! ô societas beata! in qua nec multitudo confusionem, nec excellentia gloriam inanem, nec varietas turbationem, nec inæqualitas affert dissensionem, nec invidentia minuit charitatem; quis miserum hunc hominum ad te transferet? O charitas, virtutum regina, gluten cordium, vinculum animorum, communio omnium bonorum! posside me in terris, ut te possideam in cælis: & veluti sancti ex te gaudent in cælis sic ego per te gaudeam in terris, & læter de alienis proximi bonis, sicut de propriis. Tu in me nutri hinc concordiam, fove amicitiam; serua composita, conjunge dissociata; ut ibi in mansionibus æternis illam continuem, & hæreditatem illam grandem adire merear, quæ nec copia minuitur, nec numero coarctatur: sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. Non enim erit ibi aliqua invidia disparis
clar-

40 *Domus æternitatis. Consideratio
claritatis, quoniam regnabit in omnibus
unitas charitatis. S. Aug. in Joann.*

CONSIDERATIO IV.

Societas beatæ æternitatis.

*Societas nostra sit cum Patre & cum Filio
ejus / ESU Christo. 1. Joan. c. 1. 3.*

10. Aprilis.

I. **C**ONSIDERATIS Civitatis superius
mansionibus; nunc earum incol-
las & cives consideremus, & videbimus
numerum esse sine numero; ait enim
Joannes: *Vidi turbam magnam, quam
numerare nemo poterat, ex omnibus genti-
bus, & tribubus, & populis & linguis, stan-
tes ante thronum & in conspectu Agni*
Apoc. c. 7. 9. Et licet sint innumeri, om-
nes tamen se mutuò noverunt, ac tantum
inter se familiaritate conversantur, ac
essent pauci; ex quo ingens nascitur gau-
dium; idque mirum in modum augetur
ex eo; quòd omnibus donis, quæ ad ju-
cundam familiaritatem, amicitiamque
desiderari queunt, eminenter præditæ
sint; ut sunt excellens nobilitas, pruden-

ria, doctrina, sanctitas, suavitas, discretio, urbanitas, & omnis denique virtus, Nonnullas ex his perpendamus.

II. Societas cœlestis 1. est *clara nobilitate*; quotquot enim ad regnum cœleste admittuntur, Reges sunt & Principes, in thronis suis confidentes & coronâ gloriæ refulgentes. Quàm gloriosa & præclara foret illa Civitas, quam non nisi Reges & Principes incolerent? Quàm igitur gloriosa, quàm illustris erit Metropolis cœlestis: in qua tot miliones Regum ac Principum, in summo honore, gloria & majestate regnant? 2. Societas cœlestis *sapientiâ*, prudentiâ ac doctrinâ eximiâ, prædita est: Quid enim non vident, qui videntem omnia vident? Quid non habent, qui habentem omnia habent ac possident; in quo tanquam lucidissimo speculo omnia cognoscunt, quæ scire desiderant, sive præterita, sive præsentia, sive futura?

III. Societas hæc 3. est *ordinata*, optimoque ordine & gradu disposita. Nam primò in ternis Hierarchiis, Choriisque novenis, refulgent Seraphini, Cherubini, Throni,

42 *Domus eternitatis. Consideratio*
Throni, Dominationes, Potestates, Prin-
cipatus, Virtutes, Archangeli & Angeli,
naturâ, pulchritudine, donisque natura
& gratiæ valde discrepantes; quibus
etiam homines illustrioris sanctimonie
inseruntur ac permiscuntur. Homines
deinde beati, in suos distincti sunt ordi-
nes, scilicet Patriarchæ, Prophetæ, Apo-
stoli, Martyres, Confessores, Pontifices
Sacerdotes, Religiosi, Virgines, Viduæ
qui fuere conjugati. Omnes hi in summa
proportione, & ordine, velut diversa
acies seu exercitus grandes, distributi
sunt. *Quid videbis in Sulamite (cœlesti
nisi choros castrorum? Cant. c. 7. 1. & pha-
langes diversas Sanctorum? Illic Apostolo-
rum gloriosus chorus, illic Prophetarum
exultantium numerus; illic Martyrum
numerabilis populus, ob certaminis
victoriam coronatus: triumphantium
illic Virgines, que concupiscentiam car-
nis & corporis, continentie robore
subegerunt. S. Cyprian. T. de
mortal.*

Affectus desiderii.

O Christiani! ô Ecclesiastici! ô Religiosi! Cur non ardentius ad beatam hanc, illustremque Societatem anhelamus? Cur non sapius ad patriam cœlestem suspiramus? *Patriam nostram Paradisum computamus; Parentes Patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus, & currimus; ut patriam nostram videre & parentes salutare possimus? Magnus illis charorum numerus nos expectat, Parentum, Fratrum, Filiorum; frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune letitia est? Qualis illis cœlestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi, quàm summa & perpetua felicitas? S. Cyprianus l. c.*

11. Aprilis.

I. **P**erpende ulterius; 4. quàm Societas Beatorum, sit in natura, in gratia, & in

44 *Domus eternitatis. Consideratio*
& in omni virtutum genere perfecta. Si-
cut enim omnia quæ in cælo reperiun-
tur perfecta sunt; perfectæ divitiæ, per-
fectæ deliciæ, honores perfecti, salus
perfecta, satietas perfecta, pax perfecta;
ita quoque Societas omni ex parte perfe-
cta est. Unde exclamat cum Propheta S.
Augustinus: *O quàm gloriosa dicta sum*
de te Civitas Dei! Sicut latantium omni-
um habitatio est in te: fundaris enim exul-
atione universa terra: non est in te man-
cus, nec claudus, neque gibbosus, neque de-
formis. Man. c. 17. Non est in te vilis,
abjectus, indoctus, imperfectus, vitiosus,
inglorius: sed omnes virtute, perfectio-
ne, scientiâ, gloriâ & honore coronati
Reges, æternùm in te triumphant.

II. Societas cælestium s. est sancta, vir-
tutibus
Nam cælum est patria Sanctorum, Do-
mus justorum, habitaculum perfectorum
rum & Sancta Sanctorum, in quæ nemo
admittitur nisi sanctus, & quisquis in-
greditur, mox sanctitate donatur. Sancti-
tas S. Dionysio L. de div. nom. c. 22. *Epistola*
ab omni scelere libera, & omnino perfecta,
atque immaculata puritas. Quæ in omnia

bus beatis reperitur. Primò enim Societas illa ab omni prorsus peccato, & umbra peccati est immunis : Beatos enim peccare, omnino impossibile est; quia Deum clarè vident, eumque totâ mente, toto corde, ac totis viribus amant. Amor autem hic foras scelera mittit. O quid pulchrius, quid suavius, quid optabilius, quàm homines per infinita sæculorum sæcula, in cælo vivere & conversari, absque omni vel minima peccati labecula? Et licet nullus alius è cælesti gloria decerperetur fructus; an non vel ob id solùm pluris æstimanda foret, quàm quævis gloria mundi?

III. Sanctitas aliis est: *Amor Dei in eminente gradu, cum collectione omnium virtutum.* Et hoc modo considerata sanctitas, quàm egregiè micat in Beatis? Quid enim? An non in primis in eis flagrat amor ardentissimus, quo toti in Deum rapiuntur? An non in illis resplendet omnium virtutum statui illi convenientium chorus, licet hæc vel illa manifestis, in hoc vel illo beato, refulgeat? Nam Patriarchis eminent puritas fidei; in

Pro-

46 *Domus eternitatis. Consideratio*
Prophetis sanctitas spei; in Apostolis
sanctitas charitatis, in Martyribus, san-
ctitas fortitudinis; in Confessoribus san-
ctitas patientiæ & humilitatis; in Virgi-
nibus denique sanctitas immaculatæ ca-
stitatis. Omnium autem sanctitas, ex Deo
infinito sanctitatis sole, velut radius pro-
manat, sicut in via, ita & in patria: &
quo proprius ad eum quis accedit per
cognitionem & amorem; eò majori fru-
get sanctitate: ipsum enim cognoscere
& diligere, sinceròque illi amore adha-
rere verissima sanctitas est.

Colloquium.

O Anima mea! quamdiu hærebis in
luto & fæce peccatorum tuorum
An non cupis esse digna, Societate Cæli
tum, adeò perfectâ & sanctâ? Si id ser-
optes; esto ab omni scelere, imò qua-
tum fragilitati humanæ possibile est
etiam à levioribus noxis voluntariis
bera: esto mente pura, corde munda
virtutibus ornata, charitate perfecta,
sanctitate statui tuo congruente, con-
cua: quia in cœlestia Sancta Sanctorum

nulli patet aditus, nisi Sancto: scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Levit. c. 11. *Et Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. c. 5. 48.

12. Aprilis.

I. **D**enique Societas Beatorum. 6. Est *amabilis, jucunda & læta:* omnes enim, tam Angeli, quàm homines beati in cœlo, propter ineffabilem suam pulchritudinem, virtutem, decorem, humanitatem, affabilitatem, dignitatem, charitatem, benevolentiam, concordiam & sanctitatem, maximè sunt amabiles, & jucundissimam inter se habent conversationem. O quanta voluptas & jucunditas erit, familiariter agere cum Redemptore nostro Jesu Christo, tam amabili, tam affabili, & specioso præ filiis hominum? Si felix fuit Beatissima Virgo Maria, felix S. Joseph, felix Apostolorum senatus, felix Martha & Magdalena, quòd cum Domino conversari licuerit, adhuc mortali, in terra; quid erit in gloria?

II. O quanta jucunditas & amœnitas erit, vivere & agere in Societate pretiosissimæ Dei-Parentis, omnium Sanctorum Regina, coronâ stellarum duodecim redimitæ? Quanta voluptas erit degere cum Seraphinis, Cherubinis, & aliis Angelorum Sanctorum choris? Quanta erit oblectatio agere suavissime cum Abraham, Isaac & Jacob; cum Davide, Isaia, Jeremia, Daniele, reliquisque Patriarchis & Prophetis? Quanta recreatio dulciter conversari cum S. Joanne Baptista, S. Petro, Paulo, Stephano, Laurentio, cæterisque Apostolis & Martyribus? Quanta suavitas, blanda fructu societate & convictu Sanctorum Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, Norberti, Ignatii, Xaverii, Antonii Paduani & aliorum Confessorum, tanto ubique sanctitatis & prodigiorum radios diffundentium?

III. O quanta demum delectabilitas & amœnitas erit, absque omni peccandi periculo, familiarissime, purissime & innocentissime conversari, & colloqui amabilia ac sancta instituire, cum SS

Ma

Maria Magdalena, Cæcilia, Catharina, Agnete, Barbara, Agatha, Lucia, Ursula, Theresia, reliquisque candidissimis cælestis Paradisi liliis? Hæc gaudia, has delicias explicat S. Augustinus in Man. c. 17. dicens: *Verum super hæc omnia est consociari Choris Angelorum & Archangelorum, atque omnium cælestium virtutum: intueri Patriarchas & Prophetas, videre Apostolos, omnesq; sanctos & sanctas; videre etiam parentes nostros, (vivere & conversari cum illis) Gloriosa sunt hæc; sed multo gloriosius, ac jucundius, presentem Dei vultum cernere, & incircumscriptum lumen videre: sine fastidio, sine fine.*

Colloquium.

O Anima mea, societati mortalium, tam efflictim agglutinata! ah! leva sursum oculos: & cogita; quâ lætitiâ perfunderis, ubi ad Societatis cælestis suavissimæ cohabitationem, conversationem, colloquutionem, amicitiam & familiaritatem admissa fueris? Quantum pecuniæ libens spenderes, si nunc

50 *Domus eternitatis. Consideratio*
vel unico die cum B. Virgine Deipara,
vel cum S. Josepho, vel cum S. Petro aut
Paulo commorari & colloqui liceret?
Quo gaudio colliquesces, ubi Dominum
Deum tuum & Christum Salvatorem
tuum clarè videbis, & hic te velut spon-
sam benevolè exceperit, ac blandè & sua-
viter salutârit? An non ad primum ejus
verbum, cum sponsa dices: *Anima mea*
liquefacta est, ut dilectus meus locutus est
Cant. c. 5. 6. Quo deinde gaudio dilu-
flues, ubi tot sancti, dilecti Dei amici &
amicæ, de felici adventu in cœlum, tibi
gratulati fuerint, colloquiaque tecum
miscere cœperint amabilissima & plu-
quàm mellea?

CONSIDERATIO V.

Dies & lux beatæ æternitatis.

Claritas Dei illuminat eam. Apoc.

C. 21. 23.

13. *Aprilis.*

I. **C**onsidera, quemadmodum in in-
ferno, mirum in modum cruci-
Damnatos nox & caligo perpetua: &

in hoc mundo affligit cæcitas & caren-
 tia lucis, de qua querebatur Tobias c. 5.
 12. *Quale gaudium erit mihi, qui in te-
 nebris sedeo, & lumen cæli non video?*
 Ita in cœlesti patria, mirificè recreat
 Beatos, dies perpetua, lux æterna. Hæc
 autem lux triplex est. 1. Lux creata, 2.
 Lux increata, 3. Lux theandrica & qui-
 dem Primò recreabit Beatos lux creata,
 fulgidæ illius Civitatis supernæ, & San-
 ctorum cæli civium. De qua S. Grego-
 rius loquitur in psal. 7. pœnit. *Sancti
 in lumine claritatis ejus exultabunt, cives
 effecti illius Civitatis, quam non obscu-
 rant tenebræ, non obumbrat nox, non con-
 sumit vetustas, non in ea rutilat lumen so-
 lis, aut lunæ splendor, aut stellarum jubar;
 non ibi lucerna queritur, non lampas ac-
 cenditur, non lychnus aptatur; Claritas
 quippe Divina eam illuminat, sol clarifi-
 cat justitiæ, lux vera illustrat, lux inquam
 inaccessibilis, quæ non clauditur loco, non
 finitur tempore, non obnubilatur tenebris,
 non variatur nocte.* Hæc igitur Lux di-
 vina, radios lucis clarissimos totam Civi-
 tatem illustrantes diffundit.

§2 *Domus aeternitatis. Consideratio*

II. Hujus diei perpetui, & lucis nocte
carentis, imaginem desideras? Lege ca-
put 1. Genesis, ubi dicitur: *Factum est*
vespere & mane dies unus: & factum est
vespere & mane, dies secundus: atque ita
de diebus aliis; quibus vespera & mane
principium attulit, & finem nuntiavit.
Septimam autem diem cur vesper non
obnubilat? cur caligo non interturbat?
Ratio est, quia reliqui dies mundanis o-
peribus dicati, irrequietâ volutatione
moriuntur & vivunt; Septimus tamen
dies, qui felicissimum, vitæ cælestis sig-
nabat statum, noctis & caliginis detri-
menta non sensit, sed immortalis jubæ
emicuit. Hic verò dies septimus, in
cælo celebratur, estque sabbatum per-
petuum, quies æterna, & dies clara æter-
nitatis, omni caligine & nocte suble-
quente carens; de qua Apostolorum
Princeps ait: *Nunc & in diem aeternitatis*
2. Petri c. 3. 18.

III. Quomodo autem hæc dies æter-
nitatis & lux civitatis cælestis ac Beato-
rum, omnes suos incolas recreatura sit
quis verbis exprimat? *Ostendit mihi*

scri

scribit S. Joannes Apoc. c. 21. 10. *Civita-
tem sanctam Jerusalem novam, habentem
claritatem Dei, & lumen ejus simile lapidi
pretioso, tanquam lapidi jaspidi, simile cry-
stallo. In textu græco est, tanquam lapi-
di jaspidi, crystallizanti, id est pelluci-
dō instar crystalli. Et hoc est lumen Ci-
vitatatis, quod mirificè augent lumina
Sanctorum; ac præcipuè lumen Deipa-
ræ Virginis instar lunæ plenæ radiantis;
augent Cherubini lucentes, & Seraphi-
ni ardentes: augent Septem Lampades
ardentes ante thronum, qui sunt septem
Spiritus Dei. Apoc. 4. 5. Id est septem pri-
marii Angeli quibus commissâ est cura
Ecclesiæ, & fidelium Dei cognitione lu-
centes, amore ejus ardentes & homines
illuminantes ac amore accendentes. Au-
gent lumina Doctorum Ecclesiæ, alio-
rumque Beatorum, siderum instar, ful-
gentium, atque hisce luminaribus illu-
strata, gemmea, aurea, margaritifera Hie-
rosolyma cœlestis, quàm amœnum evi-
brabit fulgorem? Quantâ admira-
tione & jucunditate afficiet intuen-
tes?*

Desiderium.

O Dies lucida! O lux perpetua! quando nam illucesces misero mihi, sedenti in tenebris & in umbra mortis? O quando veniam & apparebo, Domine, ante faciem tuam? Putasne videbo diem illum, diem inquam, jucunditatis & letitia, diem, quem fecit Dominus; ut exultemus & letemur in ea? O Dies praeclara & pulchra, nesciens vespere, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis, in qua audiam, intra in gaudium Domini tui, intra in gaudium sempiternum; in domum Domini Dei tui, ubi sunt magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. S. Aug. soliloq. c. 35. O Lux vera, Deus meus illumina me, accende me, ut hinc sim filius lucis, osor caliginis; quò diem illum perpetuum videre, & ad lucem æternam aliquando pervenire merear.

I 4. Aprilis.

I. **A**ltera lux quæ in die æternitatis, oblectat cæli cives, est lux increa-

ta, lux divina, lux una & trina, de qua Evangelistarum Aquila Apoc. c. 21. *Claritas Dei illuminat eam.* De eadem dudum antè vaticinatus est Isaias Propheta c. 60. 9. dicens: *Non erit ibi amplius sol, ad lucendum per diem; nec splendor lunæ illuminabit te: sederit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Hæc igitur Claritas Dei, loco solis & lunæ celestem Hierosoly-mam illuminat; ac luce sua purissimâ, nitidissimâ, efficacissimâ ac jucundissimâ Beatos omnes in æternum recreat, ita ut solis, lunæ, aliove lumine non indigeant.

II. Ipsa quoque Sanctissima Trinitas lux est, prorsus admiranda, nostram ingenii aciem, seu potius caliginem excedens, & Beatorum cœtum, rotâ æternitate, in sui contemplatione defixum tenens. Hæc lux repræsentari pro capiti nostro potest, per tria lumina, domum eandem illuminantia, unâ luce, & indistinctâ quadam distinctione. Pater lumen est luminosum & primum, veluti lux solis, lumen producens; Filius est
 C s quasi

36 *Domus eternitatis. Consideratio*
quasi lumen rectum, primò productum,
suæque luci commensum est adæqua-
tum. Spiritus Sanctus est quasi lumen re-
flexum, seu splendor, ex mutuo, ideòque
reflexo, Patris & Filii amore productus.
O amabile & admirabile lumen! rever-
berans obtutum mortalium; illustrans,
recreans, ac beans oculos mentis Bea-
torum!

III. Hoc lumen divinum, pro nostra
meliore intelligentia à S. Dionysio, aliis-
que Patribus, variis decoratur elogiis,
sive epithetis; jam enim nuncupatur, lu-
men immensum; jam lumen incorpo-
reum, jam lumen incorruptibile, jam in-
comprehensibile, jam inextinguibile,
admirabile, delectabile. Cujus tanta est
antecinitas, ut verbis exprimi nequeat.
Tanta est jucunditas, lucis eterne, ait S.
Augustinus, *ut etiamsi non liceret amplius*
in ea manere, quàm unius diei morâ, prop-
ter hoc solum, innumerabiles etiam, hor-
jus vite delicia, rectè ac meritò contemne-
rentur: non enim falsò dictum est: melior
est dies una in atriis tuis super millia
Tom. I. L. 3. de lib. arb.

De

Desiderium.

O Lux divina ! lux una & trina , lux lucidissima, & beatissima ! quando perstringes cordis mei intima ? Quando plenè illuminabor à te ? Quando penitus accendar à te ? Quando ero ibi, ubi lux perpetua lucebit Sanctis tuis, & æternitas temporum ? *O lumen verum, lumen sanctum, lumen delectabile, lumen admirabile, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, atque etiam oculos Angelorum. S. Aug. solil. c. 34.* Quando videbo te ? Quando ambulabo in te ? *O lux divinissima ! que non nisi à purgatissimis oculis videri potes : beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, munda me, mundans virtus, sana oculos meos, ut sanis oculis te contempler, que non nisi sani oculi intuentur. Aufer quaeso squamas caliginis nostra, radio tue illuminationis, splendor inaccessibilis, ut te videre valeam, irreverberatis obtutibus, Et in lumine tuo videam lumen. l. c.*

15. *Aprilis*

I. **T**ertia lux cœlestis, in die æternitatis Cœlites recreans, est *lux theandrica*, lux Christi, Dei & hominis, a deo que lux increata & participata. Et primo quidem, quâ Deus est, lux increata, lux infinita est, lux cuncta transcendens lumina; de qua antè meminimus; & de qua S. Joannes ait: *Deus lux est, & tenebrae in eo non sunt ulla.* 1. Joan. c. 1. 5. De eodem loquitur Vates regius Psal. 103. *Amictus lumine sicut vestimento.* Et Sapientis. sap. c. 7. 26. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius.* Cujus lucis comparatione, omnis mundana lux, quasi minima facula, aut potiùs caligo est. *Lux enim ista, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur, quàmque communem cum vermicibus habemus, in comparatione illius summæ lucis, non est lux dicenda, sed nox.* S. Aug. med. c. 27. *O candor lucis æternæ, meam dissipa caliginem! O Speculum sine macula; meam deterge fuliginem!*

ô ima-

Ō imago bonitatis Divinæ, in tuam me
reforma similitudinem! ut te videre & a-
mare æternum merear.

II. Deinde in die illo æterno, in cœ-
lesti Sion, Christus Dominus noster, quæ
homo, est *lux participata*. Hic enim di-
vinus Agnus, ejusque splendida & glo-
riosa Humanitas, est quasi Luna, & lu-
men secundarium, oblectans etiam ocu-
los corporum beatorum. De quo rursus
dilectus Christi Discipulus: *l. c. Civitas*
(cœlestis) non eget sole & luna; sed lucer-
na ejus est Agnus, Lucerna, sed omnino
magna, lucerna fulgidissima, mille soli-
bus ac lunis rutilantior. Christus enim,
etiam quæ Homo, est lux splendidissima;
lux cœli, lux mundi, lux Angelorum, lux
Sanctorum: lux quæ non tantum illumi-
nat omnem hominem venientem in hunc
mundum. Joan. c. i. verum etiam omnes
intrantes in regnum cœlorum.

III. Lux hæc *Increata & Participata,*
ubi fulguraverit coruscationes suas de
sublimi, penetrantes cordium nostro-
rum intima: mox tenebras eorum expel-
lit, ea purificat, lætificat, atque disponit;

60 *Domus aternitatis. Consideratio*
ut quod hîc videmus per speculum in æ-
nigmate; ibi videamus facie ad faciem,
O quas tibi Domine propterea obliga-
mur referre grates! Fulgura, obsecro,
fulgura, nôlque purifica & apta, ut ad
visionis tuæ gloriam pertingere merea-
mur! cujus tanta est voluptas, dignitas
& felicitas, ut, teste Venerabili Beda,
quotidie nos oporteret tormenta perferre,
si ipsam gehennam, parvo tempore tolera-
re, ut Christum videre digni esse possemus,
in gloria venientem, & sanctorum ejus nu-
mero sociari, nonne dignum esset, pati om-
ne quod triste est, ut tanti boni, tantaq; glo-
ria participes haberemur? Serm. 2. de om.
Sanctis.

Suspiria amorosa.

O Claritas Jesu mei circumfulge me
O lux theandrica, lux increata &
participata, illucesce, quæso, tenebrico-
sæ animæ meæ! eamque cum potentis-
suis illustra, clarifica & lætifica. Faceffite
procul Solis, Lunæ & stellarum lumina,
radiósq; vestros atro peplo obnubite.
vestra enim lux cum Redemptoris mei
splen-

Aprilis 15.

61

splendoribus comparata, mera nox est. Veluti sole lucente non comparent minora sidera, sic ad Christi lucem, lux creaturarum se occulit, & lux major minorem opprimit. O Jesu sol fulgidissime, emitte lucem tuam & veritatem tuam in me! *Dulcissime, pulcherrime, quando videbo te? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando satiabor de pulchritudine tua? Quando educes me de carcere hoc tenebroso, ut confitear nomini tuo, ita ut deinceps non compungar.* S. Aug. med. c. 37.

CONSIDERATIO VI.

Visus Beatæ æternitatis.

Oculus non vidit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. I. Corinth. c. 2. 9.

16. Aprilis.

I. **C**onsidera, quomodo Doctor Gentium beati illius regni venustate; elegantia, Majestate & immensitate conspectâ, adeò obstupefactus remanserit, ut verba non reperiret, quibus à se visa declararet; sed tantùm exclamaret: *Nec*

o c h.

62 *Domus eternitatis. Consideratio*
oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor
hominis ascendit. l.c. Quæ verba Doctor
Seraphicus considerans, ait: Tam am-
pla, tam alta, tam innumera sunt illa bona,
ut omnem excedant humanum intuitum,
humanum auditum, & omnem animi cog-
gitatum. Serm. 2. de Ang.

Primò igitur bona & gaudia cœlestia
excedunt *humanum intuitum*: quia talia
ab hominibus, in hac vita, nunquam sunt
visa. Vidimus in hoc mundi amphitheatro
urbium primariarum splendores, in
Italia, Gallia, Germania, Belgio &c. Ver-
rùm quid omnia ista ad Hierosolymam
cœlestis amœnitatem, decorem, Maje-
statem?

II. Vidimus hortorum jucundissimo-
rum delicias, fontium artificiosorum
scaturigines, camporum amœnitates,
metallorum pretia, Regum palatia, Di-
vorum Basilicas, divitum opes, honores,
gaudia & voluptates: verùm quid om-
nia ista ad Paradisum cœlestem & ad Re-
gis Regum pulcherrimam Regiam &
Regnum? Omnia umbra tantùm sunt,
nihil sunt. *Quia oculus non vidit talia.*

Vidi-

Vidimus in hoc mundo, solis radios, lunæ nitores, astrorum fulgores; item Menfarum cupedias, florum elegantias, animalium species, indolésque, volucrum varietates, hominum pulchritudines: venusta sunt illa, rara sunt & mira: sed quantò pulchriora, rariora & admirabilia, quæ in paradiso cœlesti spectabimus; & hæcenus oculis non lustravimus? *Oculus non vidit.*

III. Crede mihi, chare Lector, aut potiùs, crede Evangelio, crede Christo, æternæ veritati, quidquid in omni vita tua, licet cuncta Mundi regna, perlustraveris, pulchrum, splendidumque conspexisti; ne à longè quidem accedere ad pulchritudinem ac decorem proprii corporis tui, prout illud in gloria cœlesti possidebis: certè claritas ejus, claritati solis haud impar erit: nam *Justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum.* Matth. c. 13. Ideoquæ dum in regnum hoc translatus, membra tua, oculis tuis, aspexeris, videbis, manus, pedes, aliaque membra tua, tantos lacis radios emittente, ut tenebras circumquaque dissipent,
& lu-

64 *Domus aternitatis. Consideratio*
& lumine solis aut candelæ non indi-
geant. O quàm gratum tibi accidet hoc
spectaculum ! Et si è solo corporis tui
aspectu , tantam hauries voluptatem,
quantam ex intuitu Corporis Christi, B
Virginis, aliorumque innumerabilium
Sanctorum percipies? *Oculus non videt,*
mens non capit.

Colloquium.

O Anima mea ! ô corpus meum
Quid in hac lacrymarum valle cir-
cumspicis ? Quid ejus pulchritudines
quæ non nisi fluxæ sunt & bullæ puero-
rum , admiraris ? Ah ! claude, claude o-
culos tuos ad omnia ista, tam vilia & in-
stabilia. Aperi verò illos & eleva ad ce-
lestia, quæ sunt summè pulchra, pretio-
sa, admiranda, & inæstimabilia. Aud
S. Augustinum Med. c. 18. *Regnum nam-*
que Dei, & quidquid in eo est, omni fam-
majus, omni laude melius, omni scienti-
innumerabilius omniq; gloriâ putatur ex-
cellentius. Imò omnibus pulchris, pul-
chrius; omnibus raris rarius; omnibus
jucundis jucundius; omnibus pretiosis

pretiosius. Omnis enim pulchritudo ibi est, ubi summa pulchritudo est: ubi omnium rerum species sine defectu vigent, sine transitu permanent; sine corruptione consistunt; sine mutabilitate æternæ sunt. Si tam pulchrum est, quod verè pulchrum non est; quid est quod pulchrum est, & sine comparatione pulchrum est?

17. Aprilis.

I. **C**onsidera, bona illa, ac mira, rara objecta cœlestia etiam *omnem excedere, humanum auditum*. In cœlo enim videntur & possidentur, nunquam aliàs audita; omnibusque auditis longè excellentiora: *Nec auris audivit*. Audivimus & legimus multa ac magna de priscis Romanis, deque eorum artibus, scientiis, operibusque magnificis & raris. Audivimus mira de Græcis, Persis, Medis, Indis, eorumque ingeniosis inventis, exquisitisque artefactis. Verùm, quid cuncta ista, si comparentur cum iis, quæ Sapiencia divina invenit, Omnipotentia præparavit, Bonitas infinita obtulit,

66 *Domus eternitatis. Consideratio*
tulit, in regno cœlesti, fidelibus famuli-
suis, in obsequiorum & laborum præ-
mium? *Nec auris audivit.*

II. Audivimus & legimus multa de
magnifico Salomonis templo; de aurea
Neronis domo, urbe non minore; de vitæ
aurea Herodis; cuius racemi ex lapide-
bus pretiosis concinnati, erant hominum
maiores; Audivimus opes ac thesauros
Crœsi, Darii, Alexandri, nec non opera
& artificia, marmore, ebore, argento, au-
ro, gemmis & Margaritis constructa, &
sexcenta alia. Verùm quid omnia ista
summi Numinis palatio, ejusque divitiis
ac deliciis comparata? Meræ umbræ
sunt, & puerorum crepundia; qualia
enim ac quanta sint ista cœlestia atque
divina, *Nec auris audivit.*

III. Neque ad spectacula, tam rara
mira, & splendida, oculi Beatorum
stabit, aut claudendi erunt, ne fulgor
perstricti lædantur, vel excæcentur; nam
& ipsi oculi immortales erunt & impa-
ribiles, idem enim ille Deus, Dominus
noster, qui Beatorum oculos mentis confu-
roborat, ne Deum facie ad faciem videat

res, opprimantur à gloria ; oculos quoque corporeos firmat , dote impassibilitatis, ut tantos splendores absque læsione intueantur. O civitas decora , civitas speciosa , quidquid in te est , totum mirum est, totum rarum est, totum pulchrum est, uave est, jucundum est, unum bonum est ; & omne bonum in ipso est. Quidquid enim nominare boni possumus, totum ibi est ; quia omnia bona in uno sunt, & omnia unum sunt.

Desiderium cæli.

O Patria speciosa & amabilis, quanto tui tangor desiderio ! quantâ suavitate, desiderando afficior ; & nescio quò, quodammodo à meipso abstrahor ! Subitò enim innovor , totus immutor, rapior affectu, trahor amore, impellor cupiditate. Exhilaratur conscientia, obliviscor præterita, exultat animus, clarescit intellectus, accenditur affectus, cor illuminatur, ac tota anima deliciis cælestibus immergitur. O luto ac limo prostratis confundè infixi & affixi mortales ! Sursum corda, sursum desideria, sursum amores
& vo-

68 *Domus aeternitatis. Consideratio*
& vota, ad tanta regni caelestis bona
Terrena, lutea, vilia despiciate: *Sursum*
vocatos animos, terrena desideria non
primant, ad aeterna praelectos, perituram
occupent; viam veritatis ingressos, fallaciae
illecebrae non retardent. S. Leo serm.
ascens. Quae sursum sunt sapite, quae
sursum sunt quaerite, non quae super ter-
ram. Dicite cum Propheta: Quae est
spectatio mea, nonne Dominus? Psal.
Quaenam desideria mea? Nonne illa be-
na, quae nec oculus vidit, nec auris au-
dit? Ita sane: Domine, ante te, omne de-
siderium meum: Psal. 37. Quid mihi est
caelo, & a te quid volui super terram
Psal. 72.

18. Aprilis.

I. **C**ONSIDERA caelestia bona objecta
spectacula, & gaudia omnia
quoque excedere ac superare *captum*
tellectus nostri. Ibi enim, videntur,
bentur & possidentur, nunquam a nobis
cogitata: talia enim, tamque sublimia
magnifica ac stupenda sunt ista; ut *in*
hominis, ea vel videre, vel habere cupit

tis, non ascenderint. Quare rectè S. Augustinus de trip. habit. c. 1. *Bona regni cœlestis dicere, vel cogitare, vel intelligere, ut sunt, nullus potest carne vestitus, multò enim majora & meliora sunt, quàm cogitantur & intelliguntur.*

II. Quanta autem sit vis intellectûs nostri, patet experienciâ, is enim & cœlum & mundum hunc, quantumvis magnum, imò cœlos & mundos innumeros suâ velocitate transvolat, suâ capacitate comprehendit. Finge quemcunque numerum, quamecunque magnitudinem, pulchritudinem & perfectionem; illa tamen intellectus potest infinities multiplicare, augere, perficere. Finge voluptates, divitias, honores: finge imperia, regna, regiones, palatia, templa, victorias, triumphos, mundos, aureos, smaragdinos, adamantinos, possibiles, impossibiles, veros, fictos; illa tamen omnia intellectus transcendit, & pulchriora ac pulchriora in infinitum concipere valet. Attamen ubi ad summum ascenderit, quid omnia erunt, ad bona cœlestia? Umbra, figura, nihil. *Quia nec in*

70 *Domus eternitatis. Consideratio*
cor hominis descendit, quae preparata
Deus iis, qui diligunt illum. 1. Corint
6. 2. 9.

III. Mirè hæc omnia confirmat,
quod sibi accidisse refert S. Augustinus
epist. 105. eo ipso die & hora quâ è vi
discessit S. Hieronymus. In cellula ma
ait, quiescens avidè cogitabam, qual
inesset animabus Beatorum, gloriæ & la
titarum quantitas, cupiens inde breve
componere tractatum, chartâ igitur
calamo & pugillari, in manibus susce
tis; ut brevem scriberem epistolam sa
ctissimo Hieronymo destinandam;
quidquid ille de hoc sentiret, mihi
sponderet: ineffabile subitò lumen, in
stris invisum temporibus, & inaudita
dorum fragrantia, cellulam, in qua
bam, intravit; inter hæc, de luce
quædam, hæc dicens verba, exivit:
*Augustine, Augustine, quid agis? Censēsne
vi immittere vasculo mare totum? Quis
oculus nullius hominis videre potuit, tu
videbit? Quæ auris nullarum personarum
hausit, audiet tua? Quæ cor huma
num nullatenus intellexit, nec etiam*

Aprilis 18.

70

gitavit, existimas te intelligere posse? Infinita rei, quis erit finis? Immensa, quâ mensurâ metieris? Potius igitur mare totum in arctissimo clauderetur vasculo; potius terrarum orbem teneret pugillus, potius cælum à continuo desisteret motu, quàm gaudiorum & gloria, quibus anima Beatorum, sine fine potiuntur, minorem intelligeres partem, nisi, ut ego, experientiâ docearis. Ita ille. Legitur etiam id in proœmio operum S. Hieronymi Tom. 1. L. 1. Quis igitur intellectus, tantam gloriam & gaudia cœli capiat, aut comprehendat?

Admiratio.

O Anima mea! hîc obstupescere, hîc attonita sta, & cum S. Augustino, velut elinguis obmutescere, aut si fari lubet, dic cum S. Bernardino Senensi serm. in Domin. 5. post Epiphan. *Quantum est istud regnum? Hîc deficit sensus, imaginatio, ratio, intelligentia: est enim magnum, magnitudine eternitatis interminabilis; est magnum latitudine capacitatis incoarctabilis; est magnum celsitudine sublimitatis incomprehensibilis. Adde, est mag-*

D

NUM

72 *Domus eternitatis, Consideratio*
num abundantia ac præstantia, honoris,
decoris, venustatis, voluptatis, Majeſta-
tis, ab omni intellectu nostro inconcep-
tibilis: quia in cor hominis non descen-
dit, nec auris audivit; & *oculus non vidit*
Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. *Isaiæ c. 64. 4.*

CONSIDERATIO VII.

Auditus beatæ Æternitatis.

Nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus illum. *1. Corinth. c. 2. 9.*

19. Aprilis.

I. SENSUM audiendi, & instrumenta lo-
quendi, futura esse in æternitate
beatæ patriæ, nullus ambigendi locus
linquitur: erunt enim corpora Sancto-
rum in cælo, vera, viva & ex omni parte
perfecta, quale corpus Christi Domini
à resurrectione sua, ab Apostolis, aliis
visum fuit. Et sicut Damnati, apud
feros, nullo non sensu torquentur,
horrendos, ululatus & clamores
diunt, quia sensibus peccârunt: ita quæ
que æquum est, ut sensus Beatorum

corpora recreentur, quia illa hinc abnegata, fatigata & asperitatibus variis cruciata fuere.

Tria verò auditum Beatorum misericordè oblectabunt. 1. Suavissima colloquia. 2. Delicatissima musica vocalis. 3. Instrumentalis. Primò itaque gaudium liquidissimum oritur in Beatis, ex amabilissimis eorum colloquiis. Quò major est colloquentium mutua inter se confidentia, & dilectio; eò quoque major est colloquiorum mutuatorum oblectatio, ut inter parentes & filios, inter conjuges & sponfos; inter cognatos, & intimos amicos videre est. Quantæ igitur voluptatis erit, beatorum cœli civium, tam intense, purè & sanctè sese amantium, & quasi cor unum & animam unam habentium, sermocinatio?

II. Considera deinde; si maximâ voluptate audimus, viros omni doctrinâ ac sapientiâ conspicuos, doctos, sapientésque proferre sermones, ac de variis, abditarum, sublimiùmve rerum arcanis discursum instituere: ita ut satiari nequeamus: quantam voluptatem pariet,

74 *Domus eternitatis. Consideratio*
in cœlo discurrentes audire Patriarchas
Prophetas, Apostolos, & Ecclesiæ Do
ctores, S. Paulum, S. Gregorium, S. Am
brosium, S. Augustinum, S. Hieroni
mum, S. Chrysostomum, S. Basilium
alios innumeros? Præsertim ubi loq
cœperint, jam de altissimis mysteriis
jam de miris salutis nostræ viis ac modis
jam de occultis, manifestisque Provi
dentia divinae beneficiis; jam de stupe
dis cœlestibus præmiis atque coronis?

III. Quantæ jucunditatis erit; talis
Laicis, quàm Clericis, colloqui cum pa
tris suis Episcopis, Fidei & Evange
lizationibus ac Patriæ Patribus; cum S.
Annone, Cuniberto, Ludgero, Svivibe
ro, Liborio, Willehado, Anschar
Remberto, Godehardo, Bervvardo
aliis? Quantæ voluptatis erit Religio
colloqui suavissimè cum suis Funda
toribus Ordinum, SS. Benedicto, Bruno
Dominico, Francisco, Ignatio? Quantæ
amœnitatis erit in cœlo, audire Fili
verba Parentum, & Parentes verba Fi
liorum? Quantâ cordis exultatione au
dientur dulces sermones Fratrum & Sor
rorum

rorum, Consanguineorum & Benefactorum? Denique quo gustu & jubilo audientur Beatissimæ Virginis Mariæ verba sublimia & admiranda: imò ipsius Redemptoris nostri divina acroamata, & oracula?

Aspirationes.

O Mi Jesu! *sonet vox tua in auribus meis, in cœlesti regno; vox enim tua dulcis, & facies decora!* Cant. c. 2. 14. Sonet & vox tua, ô Maria; Mater pulchræ dilectionis, sedes sapientiæ! Sonet & vox vestra ô Sancti, Apostoli, Doctores, Episcopi & Fundatores, parentes & amici mei! Ego enim his frui aurium, cordisq̃ue deliciis, unicè desidero. Idque ut obtinere merear, oblectabuntur deinceps in hac vita, aures meæ audientis Dei verbis, ut credam: promissis, ut sperem; præmiis, ut diligam; præceptis, ut impleam. Patebunt aures mentis meæ Spiritûs Sancti afflatibus atque instinctibus; patebunt S. Angeli Custodis mei inspirationibus, monitis & consiliis salutaribus: clausæ verò erunt, aures

D 3

meæ,

76 *Domus aternitatis. Consideratio*
meæ, dum, ut olim Atheniensibus, de
umbra asini, aut de puerilibus nugis, de
anilibus fabulis, offutiis & affaniis, longi
gi texentur sermones. Siquidem: *Beati*
qui audiunt verbum Dei & custodiunt
lud. Lucae c. 11. 28.

20. *Aprilis.*

I. **G**Audium deinde jucundissimum
erit Beatis in Paradiso, ex dulc
sima *vocum cœlestium harmonia.* Cœ
tum habe, omnes omnium Regum ph
nascos, & quotquot sunt aut fueru
nunquam, musices peritos, cum cœlesti
bus auloedis collatos, non nisi corvo
crocitantes, aut oves balantes, aut asino
rudentes esse censendos. Omniumque
lorum cantum, non esse nisi vocem cic
dæ stridulam, aut cacophoniam ran
rum coaxantium inanænam. Qu
enim, qualisve voluptas, aurium er
quando audiemus festivum illud Ser
phinorum alternatim cantantium tri
gion: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dom*
nus Deus Sabaoth! Plena est omnis terra
gloria ejus. Isaia c. 6. 3.

II. Qu

II. Quæ oblectatio erit, audire canticum illud novum, quod cantant centum & quadraginta millia, & nemo alius cantare potest, nisi Virgines? Apoc. c. 14.

3. Quod canticum est Laus Dei, exultatio & júbilus Virginum, ob tam rarum & insigne donum castitatis, sibi præ aliis plurimis, quibus negatum est, concessum. S. Greg. 3. p. Past. admon. 29. Hoc gaudium peculiare Virginum, ut ait S. Augustinus L. de Virginit. c. 27. *Est gaudium Virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum & propter Christum.* Quale autem in particulari sit hoc canticum & gaudium, felix nos docebit experientia, cum in cœlo illud vel canemus, vel audiemus.

III. Considera & quantum potes æstima, qualis sit illa gloria, quanta lætitia, quæ solennitas, quæ veneratio, quod tripudium civium supernorum, qui assidue Deo laudem perferunt, honorem deferunt, devotionem offerunt, depromunt canticum novum, canticum lætitiæ, inæstimabili quodam clamore, quia

78 *Domus eternitatis. Consideratio*
ferventissimo amore, ineffabili cantu
mirabili affectu; cœlesti jubilatione, spi-
rituali modulatione. Ipse siquidem est
eorum verus cibus, plena satietas, æter-
na mansio, summa beatitudo, æterna læ-
titia, salus æterna, indeficiens virtus &
vita immortalis. O si mihi daretur ali-
quando, hac jubilatione, hac modulatio-
ne frui. Quænam erit cordis exultatio
quando in cœlesti Hierosolyma audie-
mus voces, quasi turbarum multarum
aptè consonantium atque canentium
Alleluja, alleluja, salus Deo nostro, qui sedet
super thronum & Agno? Apoc. c. 19
Verè ibi est canticum lætitiæ, vox exultatio-
nis & salutis, & gratiarum actionis, &
vox laudis, atque alleluja in perpetuum.
S. Aug. Man. c. 24. Cantica autem hæc
cœlestia, eò accident suaviora, eruntque
eò nobiliora & exquisitiora, quò sunt ip-
si Cantores doctiores, & qui laudantur
est sublimior, & locus in quo cantatur
excelsior, & audientium cœtus intelli-
gentior atque frequentior.

Aff-

Affectus gaudii & spei.

Quæ cantica! quæ organa! quæ cantilenæ! quæ melodiæ! ibi sine fine decantantur? Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad gloriam Dei, à supernis civibus decantantur. S. Aug. Man. c. 6. *Felix ero & verè eternum felix; si post resolutionem hujus corpusculi, audire meruero, illa cantica cœlestis melodia, quæ cantantur ad laudem Regis eterni, ab illis superna Patria, beatorumque Spirituum agminibus. Fortunatus ero, nimiumque beatus, si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, Deo meo, & cernere auribus in gloria sua.* S. Aug. Med. c. 2 f.

21. Aprilis.

I. Gaudium denique & voluptas suavissima nascetur auditui Beatorum, ex musica organica, seu instrumentali exquisitissima: qualem audivit S. Joannes Apoc. c. 14. *Et audivi vocem de caelo, sicut citharæ dorum, citharizantium*

30 *Domus aternitatis. Consideratio*
in citharis suis. Rex Nabuchodonosor, in signum adorandæ statuæ suæ, instituit, solennem musicam, tubæ, stula, cithara, sambuca, & psalterii symphonia, omnisque generis musicorum. Dan. c. 3. 7. Verum, quid hæc, & omnia alia Regum musica, cum cœlesti comparata? Nihil nisi strepitus absonus, & stridor ingratus?

II. O quis mente concipiat, aut verbis exprimat, qualis sit illa Angelorum musica? Cesset, cesset testudo bystonia, cessat cithara lesbica, taceat Amphion & Orphei lyra; fileant omnes mundi harmonij universi, tubæ, chales, theorbæ, citharæ, lyrae organa, cymbala & cornua, & reliquaque musica instrumenta, quæ comparatione illius supernæ harmoniæ, non aliter sonant, ac stridor januæ, pulsus, orla, aut sonus campanæ fractæ.

III. Quanta autem sit hujus cœlestis musicæ delectatio, conjectura nonnulla fieri potest ex eo: si enim S. Nicolai Tolentinus sex mensibus ante obitum, suavissimos Angelorum concentus singulis noctibus audivit, miròque cœlestis patriæ

patriæ desiderio inflammatus est, ad quam tot Orpheis invitabatur, ut scribit Surius 10. Sept. in vita c. 11. Si sanctus Martinus, S. Servatius, S. Servulus, [de quo S. Gregorius] & alii, hymnis cœlestibus, ante mortem honorati, sic exarserunt, Dei, cœlique amore ut sese non caperent. Si unicus plectri Angelici per Chelyn ductus, tantâ dulcedine perfudit S. Franciscum Seraphicum; quid efficiet symphonia & harmonia cœlestis selectissima, tot fidicinum, tubicinum & tibicinum angelicorum?

Amor & desiderium.

O Domine, Deus noster, nos lutum & vermiculi, non valemus in tuas aeternitates intrare, nisi tu induxeris, qui de nihilo cuncta creasti: S. Aug. solil. c. 23. Non possumus imaginari nobis tantas voluptates Domûs tuæ. O quæ organa! quæ instrumenta! quæ harmonia! ubi est tanta Musicorum peritia, copia & ad laudandum Deum, animorum concordia! Plena ibi & perfecta regnat Charitas, quia Deus est ibi omnia in omnibus,
D 6 quem

82 *Domus æternitatis. Consideratio*
quem sine fine vident, & semper videndo
in eius amore ardent; amant & laudant,
laudant & amant, omne opus eorum laus
sine fine, sine defectione, sine labore. S. Aug.
med. c. 25. O quando huic Musico-
rum amantium & laudantium Choro
jungar? Quando Letabor & exultabo in
te, psallam nomini tuo, Altissime? Psal. 9.
Quando laudabo te, in tympano &
choro, in chordis & organo, in tubis
ductilibus, & cymbalis bene sonanti-
bus?

CONSIDERATIO VIII.

Gustus beatæ æternitatis.

Comedite amici & bibite & inebriamini
charissimi. Cant. c. 5, 1.

22. Aprilis.

I. **G**ustus est duplex, alius corporis,
alius animæ: uterque autem in
illa terra lacte & melle manante, in illa
cœna magna, in illo convivio superno,
regali ac nuptiali, mirificè oblectabitur
& satiabitur: quamvis enim Beati cibus
& potibus corporeis ac materialibus
laud

haud indigeant, neque utantur: habebit tamen gustatus voluptatem suam. Statui beatorum & immortalium, congruentem, ne sensus ille in corporibus veris ac vivis supervacaneus esse videatur. Innuit hoc Christus Dominus Matth. c. 26. 29. dicens: *Non bibam amodo de hoc genere vinee, usque in illum diem, cum illud bibam vobiscum novum, in regno Patris mei.* Et promissa confirmans Lucae c. 22. 19. *Ego, inquit, dispono vobis, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Ubi transiens ministrabit illis, & suavissimè ad fruendas delicias cohortabitur: Comedite amici & bibite & inebriamini Charissimi l. c.*

II. Neque ad convivium cœleste frustra invitat nos Dominus Matth. c. 22. 4. *Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt & omnia parata, venite ad nuptias.* Nemo tamen cogitet, in cœlo mactari tauros, & altilia, eaque vel cocta vel affata manducari: divina enim omnipotentia absque omni ciborum apparatu & varietate, communicabit Beatis, illam suavitatem ac saporum

84 *Domus aternitatis. Consideratio*
rum diversitatem, quam ex cibis haurire
potuissent: & quidem longè sublimiori
modo, sive per qualitatem quandam in-
hærentem, quæ non selectissimorum
modò ciborum, sed & omnium, quæ fingi
cogitarique possunt saporem contineat;
sive per liquorem cœlestem, divinitus
infusum, linguam & palatum afflic-
tuè & variè, pro cuiusque desiderio, sua-
vissimè afficientem: id autem ut melius
capiamus.

III. Simile habemus in manna, quod
licet unus duntaxat cibus esset, omnis ta-
men saporis suavitatem continebat, se-
cundum illud Sap. c. 16. 20. *Angelorum
escâ nutritivisti populum tuum: panem de
cœlo prastitisti eis, omne delectamentum in
se habentem, & omnis saporis suavitatem,
deserviens uniuscujusque voluntati; ad
quod quisque volebat, convertebatur.* Et
quidem cum majori excellentia, ac dul-
cedine; quàm reliquis cibis inesset; ut
hâc ratione Deus populo suo & justis in
hoc exilio indulgeret. Idem ille Deus,
qui hæc adinvenit in manna; haud du-
biè noverit ejusmodi saporis condimen-
tum

tum conficere, quod longè eminentiore modo, omnis saporis suavitatem complectatur, ut suis electis, jamque in patria beatis, indulgeat.

Colloquium.

O Anima mea! O corpus, gulæ, gustusque deliciis nimium quantum addictum! ah! fræna te; statue cultrum mortificationis in gutture tuo: desine ab infania tua: quis, obsecro, sapiens, non libenter in hoc vitæ exilio, cuncta volucrum, piscium & ferarum cadavera spernat; ut in patria, in grandi illo convivio, cœleste manna, omnis saporis suavitatem continens, æternum degustare mereatur? Dilata os tuum, & implebitur. *Appetitus cœlestium, parit contemptum terrestrium; quibus enim divina sapiunt, mundana desipiunt. S. Bonav. in Psalt.*

23. Aprilis.

I. D E inde gustus cœlestis, deliciæ, adumbrantur in grandi illo & lauto convivio; quod Rex Assuerus adornavit

navit cunctis Principibus suis; ut divitiarum
gloriæ regni sui ostenderet. Esther c. 1.
Convivium hoc epulis delicatissimis
erat instructum, quæ aureis, argenteis
que lancibus mensæ inferebantur: ve-
num quoque magnificentiam regiâ dig-
num, & abundans, poculis aureis pro-
pinabatur: duravit autem centum
octoginta diebus, sive anno dimidio; re-
ab orbe condito inaudita. Verum quid
hoc Assæri epulum, ad convivium Re-
gis æterni, non Persarum & Medorum
inclutis; sed Principibus cœlestibus
præparatum? Sanè nihil aliud, nisi vile
Mendicabulorum comestatio, aut stu-
fticorum nundinalis debachatio.

II. O quantò lautius, quantò nobilitate
delicatus, & diuturnus, erit hoc, præ
illo, epulum! Hoc enim est convivium
illud, de quo Isaias vaticinatus est c. 2.
6. *Faciet Dominus exercituum, omnibus
populis, in monte hoc, convivium pin-
guum, convivium vindemiae, pinguium
medullatorum.* Meritò vocatur hæc cœ-
lestis agape, *convivium pinguium*: non
enim erit, macrum & infullum; sed om-

ni nectare & ambrosiâ suavius, omni deliciarum, & cupediarum genere abundans. *Convivium vindemia*, post exantlatos, in vinea Domini, labores, strenuis operariis apparatus.

III. Erit convivium *pinguium medullatorum*; omnino opiparum, tanto Monarchâ, ejusque potentiâ, magnificentiâ ac liberalitate dignum; in quo ipsamet Divinitas, omnium deliciarum medulla, cunctis convivis exhibetur in abundantia. O quale convivium! Convivium gloriosum, post pugnas & victorias triumphantibus adornatum: convivium sincerum, purumque, nullâ molestiâ aut nausêâ permixtum: convivium æternum, nullis sæculorum millionibus terminandum: convivium divinum, à Deo, cum Deo, ex Deo, ejusque bonis præstitum: convivium sanctum, ab omni excessu, nævo aut crapula liberum; quia in conspectu Dei est institutum: *Justi epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* Psal. 67.

Incre-

Increpatio.

O Furfuribus, fungis, cochleis, peponibus & aliis inhiantes parasitilurcones & comedones! quàm corruptum, depravatamque palatum geritis. O si hujus convivii pinguis, medullarum sinceri, sancti, divini, vel buccellam gustassetis; quæ cupediarum terrenarum nausea vos afficeret? Verè S. Bonaventura in Soliloq. ait: *Si vel unam micam qua cadit de mensa Dominorum, in hoc convivio, aperto mentis ore sumpsissetis, si vel unam guttam potius ejus, degustassetis, omnem hujus seculi vanitatem fastidiretis! Gustate igitur & videte, quoniam suavis est Dominus Psal. 33.*

24. *Aprilis.*

I. Magnifica olim instituta fuerunt convivia. Alexander M. quadringentos Duces convivio excepit, atque in argenteis curribus sedere fecit, Athen. L. 1. c. 11. Artaxerxes Persarum Rex opulentum regiumque prorsus septem dierum convivium Ducibus ac satrapis suis

suis exhibuit, in quo ministrabatur, au-
 reis & gemmeis poculis, ad delectatio-
 nem simul & miraculum factis. Herod.
 L. 9. Julius Cæsar in Libyco triumpho,
 magnificentum populo Romano epulum
 dedit; in quo duobus & viginti millibus
 tricliniorum est accubitum. *Ita Suetoni-
 nus.* Georgius Nevillus Archi-Epis-
 copus Eboracensis Anno 1466. advoca-
 tis variis Principibus, tam magnificentum
 instruxit epulum; ut omnia nostri ævi,
 ferculorum varietate facilè excedat: ut
 quibus apparandis coqui fuerint 62.
 Lixæ & secundarii ministri 515. famuli
 1000. cibi in tanta copia, ut fidem supe-
 ret. Absumpta vini dolia 416. cerevisiæ
 330. boves saginati 80. verveces 1004.
 porcelli 300. vituli 300. anseres 3000.
 capi 3200. columbæ & cuniculi 8000.
 perdices 500. pavones 100. atque ita de
 aliis. Godibinus in Epis. Angliæ, Sunt
 hæc admiranda, sed umbra ad cœlestia
 bellaria.

II. Admiranda quoque sunt, quæ de
 mensa Regis Salomonis legimus L. 3.
 Reg. c. 4. *Erat autem cibus Regis Salomo-
 nis*

90 *Domus aternitatis. Consideratio*
nis per dies singulos triginta cori simila, &
sexaginta cori farina (corus continet
30. modios Romanos,) decem boves pin-
gues & viginti boves pascuales & centum
arietes, excepta venatione cervorum, ca-
prearum, atque bubalorum, & avium al-
tilium. Verum quid hæc & omnia qua-
unquam fuere, mundi convivium, ad illud
convivium, quod summus cœli terræ
que Monarcha, Filio suo, tanquam nup-
tiale adornavit: Simile est regnum cœles-
tium homini Regi, qui fecit nuptias Filio
suo. Matth. c. 22. 2. tanquam Sponso, &
Sponsæ ejus Ecclesiæ triumphanti. Quæ
venerunt nuptiæ Agni. Apoc. c. 19. 7. San-
nihil aliud sunt omnia ista cum convi-
vio cœlesti comparata nisi rusticana en-
cænia.

III. Quale verò convivium tantum
Rex tali Filio, ac tali Sponsæ instituat, ve
ex eo collige: si in palatio quoquam, non
tantum famulos, famulasque; sed etiam
canes ac vilissima animalia, pasci cerne
res pane Sacchareo, & potari nectare ac
que ambrosiâ; an non palatii Domi
num, ejusque Sponsam, longè delicatio
ribus

ribus epulis pasci augurareris? Deus autem corporibus nostris, veluti vilibus jumentis, in alimentum ministrat, quidquid bonæ & sapidæ volucris per aëra volitat; quidquid piscium in liquido elemento natat; quidquid ferarum in silvis latitat; quidquid delicati germinis tellus progignit, quidquid, sapidissimarum dapum compositione, humana industria invenit. Ex quibus omnibus infer: si hæc dantur corpori vili & mortali, quid corpori glorioso & animæ nobili? Si hæc dantur in carcere, quid dabitur in palatio? Si tam lauta præbentur jumentis in exilio, quid offeretur Sponsis in patria?

Affectus desiderii.

O Epulum nuptiale! ô convivium regale & cœleste! Quis non omnia mundi hujus spernat ac declinet convivia, ut te in æternum frui mereatur? *O mira affluentia, quæ tantum exercitum tantorum Principum tot seculis, imò in seculorum secula affluentissime pascit & reficit; neque unquam deficit, sed semper abun-*

92 *Domus eternitatis. Consideratio
abundat & superabundat. S. Thom. VII
lonova. s. de S. Mich. O solennitas
nuptialis, quando de hac esurie & ege-
state ascendam ad te? Quando vel-
nuptiali ornatus, admittar in te? Tu Do-
mine Deus meus, dives omnium bonorum
& dapum supernæ Satiætatîs, opulentissimè
largitor, obsecro te, aperi pulsanti miseræ
manum pietatis tuæ, & jube, ut ingredia-
tur ad te, requiescat in te, reficiatur de
vivo cœlesti pane, quo satiatus ad superiora
conscendat, & de hac valle lacrymarum
pennâ sancti desiderii raptus, ad cœlestia
regna volitet. S. Aug. med. c. 37.*

CONSIDERATIO IX.

Odoratus Beatæ æternitatis.

*Germinabit sicut liliun, & odor ejus sicut
Libani. Osee c. 14. 7.*

25. Aprilis.

I. **C**onsidera odorem cœlestem, qui
pascit Beatos Deus, oriri pri-
mum ex ipso cœlesti paradiso. Hortum
& Viridarium, in quo primi Parentes no-
stri conditi sunt, Genesis c. 2. & 3. me-

tò paradifus voluptatis nuncupatur propter fingularem amœnitatem: fed longè potiori jure, paradifus cœleftis, nomen paradifi voluptatis promeretur: Unde de Lucifero dicitur Ezech. c. 28. 13. *In deliciis, paradifi Dei fuifti.* Et bono Latroni promittit Crucifixus Saluator: *Hodie mecum eris in paradifo.* Joan. c. 23. & S. Paulus raptus eft in paradifum 2. Corinth. c. 12. 4. & S. Joannes Apoc. c. 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eft in paradifo Dei mei.* Ubi quidquid oblectat odoratum, guftum aliolque fensus abundè reperitur.

IX. II. De hujus paradifi deliciis loquitur Doctor mellifluus, in ferm. fefto S. Nicol. *Paradifus, inquit, eft regio supercœleftis, regio beata & gloriofa, voluptatis & gratiæ, suavitatis & letitiæ, benignitatis & gloria, ibi requies à labore, jucunditas de novitate, de eternitate fecuritas.* Inter reliquas autem voluptates, non deerit odoris suavitas, quæ tanta erit, ut omnium hortorum, agrorum, viridario- rum, florum & balsamorum fragrantium longiffimè antecellat *germinabit, ficut*

94 *Domus aternitatis. Consideratio
sicut liliū; & odor ejus, ut Lib
Oseæ c. 14. 7.*

III. In cœlesti paradiso ver est
renne, quod nulla unquam turbabit,
fugabit hyems: ubi omnia semper
nant ac florent, & odoris amœnitatē
omne cinnamum, & crocum, ba
mum & nardum, omniaque aromata,
lia & rosas longè superantem exhalat.
Ideoque ex S. Augustino med. c. 26. Be
trus Damianus canit:

*Flos perpetuus rosarum, ver agit
petuum;*

*Candent lilia, rubescit crocus, se
balsamum;*

*Virent prata, vernant sata, rivi me
instuant;*

*Pigmentorum spirat odor, liquor
aromatum.*

Quibus verbis indicat; ait Cornel
à Lapide in cap. 22. Apoc. v. 3. In
radiso cœlesti fore res floridas, odor
ras, amœnas, quæ visum, odoratum,
liosque sensus pascant, & mirâ volupt
perfundant.

Colloquium.

CUpisne, ô serve Dei! hâc amœnissimâ frui, paradisi cœlestis fragrantia? esto hîc quasi paradissus terrestris Dei tui, omnium virtutum floribus exornatus, in quo maximâ delitietur voluptate: esto sicut odor agri pleni, frumento florente referti: ut ubi in die iudicii; Judex veluti olim Isaac Patriarcha Jacobum odoratu, tactuque te exploraverit; non tanquam ab hirco foetente, vultum avertat; sed statim atque senserit vestimentorum tuorum, id est virtutum, operumque bonorum, fragrantiam, benedicens tibi dicat: *Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Gen. c. 27.*

26. Aprilis.

I. Perpende hanc odoris suavitatem, non solum oriri ex ipso paradisi cœlestis loco; sed etiam ex corporibus Beatorum; ut prisci Patres, & Theologi docent: quos inter D. Thomas; & Franciscus Suarez in 3. p. disp. 47. sec. 6.

E Ipsa,

96 *Domus aternitatis. Consideratio*
Ipsa, inquit Beatorum corpora, imò & lo-
eus ipse, suavissimum odorem spargent.
Cum enim ipsi fuerint in hac vita,
Christi bonus odor in omni loco: quidni in
præmium virtutis, in paradiso cœlesti
odorem amœnissimum exhalabunt, ut
canit Ecclesia: *Sancti tui, Domine, flore-*
bunt sicut lilium, & sicut odor balsami-
erunt ante te?

II. Florent verò inter eos & fragrant
præprimis, rosæ Apostolorum & Mar-
tyrum: Hyacinthi Doctorum, amaran-
thi Confessorum, lilia Virginum, tulipa
Conjugatorum, violæ Viduarum, nardi
cissi Innocentum, vario & admirabili
odore. Si enim, Alexandri Macedo-
num Regis, ut Plutarchus testatur, non
solùm os; sed & totum corpus gratissi-
mum odorem spiravit ita ut & sudor
jus, fragrans ac medicus fuerit, vestes
que interiores eodem odore imbuerent.
hæc amœnitas odoris desit, in paradiso
beatis, quæ in hoc mundi carcere, mor-
tales tinxit? Et si corpora Sanctorum
morte, a pertis tumulis, tam suavem ex-
halarent odorem, qualem nemo unquam

quam antè senserat, quàm amabilem, corpora viva, & gloriã perenni jam donata, in paradiso cœlesti, fragrantiam spirabunt?

III. De S. Hilarione testatur S. Hieronymus in vita ejusdem, elapsis à sepultura denis mensibus, inventum corpus, integrum & incorruptum, instar viventis, tamque suavibus fragrans odoribus; ut unguentis delibutum crederetur. Hoc idem de corpore S. Servuli refert S. Gregorius in Dialogis L. 4. c. 14. Animã ejus exeunte, tantam odoris fragrantiam aspersam fuisse; ut omnes, qui aderant, inæstimabili suavitate replerentur. Similia de corpore SS. Simeonis, Hieronymi, Martini, Thomæ Aquinatis, Philippi Nerii, Francisci Xaverii, Ediltrudis, Catharinæ Bononiensis aliisque legimus.

Colloquium.

O Christiane! desiderasne, cum hisce floribus paradisiacis, suavem aliquando, Deo & Sanctis, in cœlo, aspirare odorem? In hac brevi vita tua,

98 *Domus aternitatis. Consideratio*
porcorum & hircorum, id est, scelerum
impurorum, mephitim declina: fuge su-
perbiæ fœtorem, avaritiæ sordes, luxu-
riæ cœnum, omnibus cloacis graveo-
lentius: hæc enim proximis teterrimas
exhalant auras. Deinde, sperne quoque
unguenta, flores & odores, tam in cor-
pore, quàm in veste: *Miles es spiritus*
lis; talem verò non oportet olere unguen-
tum; sed spirare virtutem: nihil enim im-
mundius animâ; quoties corpus talem ha-
bet fragrantiam; ait S. Chrylost. hom.
4. de Lazaro.

27. *Aprilis!*

PRæ reliquis autem sanctis, mirificè
fragrat Beatissima Virgo Maria
De qua etiamnum in mundo, existens
testatur S. Dionysius Areopagita in Epistola
Tanta Mariam videndo, omnium in m-
odoramentorum superabundavit fragran-
tia, ut nec corpus nec spiritus possent tan-
ta felicitatis insignia sustinere. Defecit
cor meum, defecit spiritus meus, tanta glo-
ria majestate perfusus. Si hoc in vita
mortali, quid erit in gloria? Ipsa enim

est rosa in Jericho, lilium inter spinas, vitis odorata, myrrha electa, cinnamomum & balsamum odoriferum; de qua canit Ecclesia: *In plateis sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, & quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris.* Eccl. c. 24. Exponit id præclare S. Bonaventura: *Odor B. Virginis in hac vita fuit, sicut cinnamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione, sicut myrrha in passione.* Item *sicut cinnamomum in cortice conversationis; sicut balsamum interius in unctio- ne devotionis; sicut myrrha in amaritudine mortificationis.* Quidni igitur sicut cinnamomum & balsamum & myrrha, fragrabit quoque in domo beatæ æternitatis? Unde cœlestes Genii, tantâ odoris suavitate perfusi, meritò exclamant admirabundi: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut Virgula fami, ex aromatis myrrha & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Cant. c. 3.

II. Sed præ omnibus & supra omnes Sanctos, Christus Dominus, & Salvator noster, suavissimo & incomparabili

100 *Domus eternitatis. Consideratio*
odore, totum cœlestem paradifum, ejus
que incolas oblectat: ipse enim omnia
cinnamomum & balsamum, omnia
crocum & thymum, omnes rosas & lilia,
omnia herbarum delicias & florum
oblectamenta, longissimè superat,
qua quidquid in his & omnibus odoriferis,
est fragrantia; velut gutta ex infinito
hoc mari aromatico profluit, quod quidquid
odoris, dulcoris & amabilitatis, sparsum
est in Sanctos, ex infinita illius plenitudine
promanat, & ex illo divinitatis fonte in
omnes influit.

III. Quare meritò de se ait: *Ego flos campi & lilium convallium.* Cant. c. 2.
Flos campi, non horti conclusi, ut omnibus
pateat; ut ab omnibus, carpi; & odor
ejus percipi valeat. O *Flos mirus & rarus!*
ô lilium convallium, non mortuum;
propter odorem humilitatis profundissima.
Lilium nobile & pretiosum. *Flos* cujus
pulchritudo nunquam deficit, cujus odor
nunquam interit; cujus vigor nunquam
marcescit; æquè semper candidus & rubicundus;
æquè semper odoriferus. *Flos, qui odorem suum*
succo

succisus reservat, & contritus accumulatur, nec avulsus amittit. S. Ambros. serm. 5. in psal. 118. O quàm ineffabilis fragrantia!

Petitio.

O Maria! Liliū & rosa fragrantissima, tuâ me resperge odoris suaveolentiâ! O Jesu dulcissime, benignissime, pulcherrime, trahere me sursum ad te, ut curram post te, in odorem unguentorum tuorum; curram & non deficiam, te trahente, te ducente me currentem. S. Aug. med. c. 37. Ut virtutum tuarum, & Virginis Matris tuæ, fragrantiam perceptâ, castitatis, humilitatis, patientiæ, omniumque virtutum odorem in proximos diffundam: terreni odoris suavitatem respuam, graveolentiam, pro salute animarum, non refugiam; atque ita bonus odor Christi evadam, in omni loco, tamque constanter, ut fragrantiam præcilius reservem, contritus accumularem, nec morte revulsus amittam, sed & in hac mortalitate, & in beata æternitate, velut fragrans paradisi rosa & liliū,

102 *Domus eternitatis. Consideratio*
lium, vobis, cunctisque Beatis suavissi-
mè redoleam.

CONSIDERATIO X.

Tactus beatæ eternitatis.

Palpate & videte. Lucæ c. 24. 39.

28. *Aprilis*

I. **Q**uemadmodum apud inferos, in-
ter exteriorum sensuum tor-
menta, summum est, ignis æternus; quod
tactum cruciat infandis modis; ita et
SS. Patrum & Theologorum calculo
usus tactus in cælo erit, cum voluptas
maxima & purissima. Hæc autem vo-
luptas orietur. Primò ex corporis glo-
riosi habitudine. 2. Ex doloris, motus
isque immunitate. 3. Ex auræ cele-
stis temperie. Ordiamur à primo: cor-
pus enim gloriosum non est sensibus de-
stitutum; sed perfectissimè instructum
cum perfectissimis organis & spiritibus
ad usum eorum opportunis, ac proinde
sensuum, atque in primis tactus usum
habebit perfectissimum. Patet id in
Redemptore nostro, qui à resurrectione
sua

sua Apostolis conspicuus dicebat: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* l. c. simulque se palpandum præbuit: cujus tactus suavitatem, vim, affectum & effectum Thomas Apostolus sensit.

II. Deinde Corpora Sanctorum in hoc sensu, multas afflictiones & mortificationes, amore Christi, perpessa sunt; maxima enim pars tormentorum, quæ sustinuerunt Martyres, fuit in sensu tactus; maxima pars austeritatis vitæ Religiosorum, in eodem sensu fuit: igitur par est, ut in eo recipiant quoque consolationes & præmia illi accommodata. Ut sicut sensus ille parti superiori socius fuit afflictionis, sic etiam sit socius consolationis. Tactus itaque per totum corpus Beatorum diffusus, miris replebitur deliciis & voluptatibus; ita ut Beati, tanti quanti sunt, torrenti voluptatum sint immergi. Sed nihil hinc obsceni, nihil inhonesti, minusve casti tibi imagineris; ut enim clarè innuit Veritas æterna: *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut An-*

104 *Domus eternitatis. Consideratio*
geli Dei. Matth. c. 22. Ac proinde tan-
gendi voluptas, erit prorsus innocen-
casta & sancta, simulque maxima.

III. Cogita quæso, quantâ volup-
tate tactûs, Beatus quisque in mutuo
eis osculo, ipsius Dei incarnati, & sa-
ctorum perfundetur? Quantâ volup-
tate corpus gloriosum, obstacula cuncta
penetrabit? Quantâ voluptate, que
cunque libuerit, fulminis instar perve-
labit? Quantâ voluptate omnia & sin-
gula Beatorum membra, quamque in-
narrabili suavitate ac dulcedine demer-
cebuntur? De qua, præclarè S. Anse-
mus L. simil. c. 57. scribit: *Delectatio*
ineffabilis bonos inebriabit, & inastimi-
bili dulcedine suâ, totos eos inenarrabili
exundantiâ satiabit. Quid dico totos? Oro-
li, aures, nares, os, manus, pedes, guttur,
cor, jecur, palmo, ossa, medulla, exte-
riam ipsa, & cuncta sigillatim, singulaque
membra eorum, in communi; tam mira-
bili delectationis & dulcedinis sensu re-
plebuntur; ut verè totus homo, de torrente
voluptatis Dei potetur, & ab ubertate Do-
mûs ejus inebrietur.

Collo.

Colloquium.

Vide, anima mea, simulque deplora
 cæcitatem mortalium, volupta-
 tum carnalium cœno penitus immerso-
 rum; & sibi persuadere nolentium, ma-
 jores Deum sibi, & Electis suis reservas-
 se delicias & voluptates, quàm quæ sunt
 cum brutis animalibus communes.
 Compatere hisce insensatis ac fascina-
 tis, oraque pro eis; ut oculos aperiant,
 & cœlestia, quæ animalis homo non
 percipit, capiant; ac firmiter credant,
 inter omnes terrenas, carnalésque vo-
 luptates, in unum conglobatas; & inter
 cœlestes, tantum esse discriminis, quan-
 tum inter corpus & animam, inter na-
 turam & gratiam; inter brutum pecus
 & Seraphinum, inter tempus & æterni-
 tatem, intercedit. *O quàm magna mul-
 titudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abs-
 condisti timentibus te!* Psal. 30. 20.

29. Aprilis.

I. D E inde voluptas tactûs, in cœlo,
 jucundissima oritur *ex mortis,*

E 6

mor-

106 *Domus eternitatis. Consideratio morbi, dolorisq; immunitate.* In illa enim Beata Patria; *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Apoc. c. 2. 1. 4. sed vice versa, erit ibi sanitas sine infirmitate, juvenus sine senectute, requies sine labore, gaudium sine mœrore, pax sine lite, agilitas sine pondere, libertas sine servitute; securitas sine timore, vita sine dolore, sine morbo, sine morte.

II. Considera hîc, si prædicta singula tantam Beatis pariant lætitiâ, quantam parient, omnia simul collecta, quando tactum omnis morbi caretum recreat, & sanitas perfecta perpetuò demulcet? Ibi enim nulla tussis pulmonem concutit; nulla phthisis lentâ tabe consumit, nulla podagra pedum articulos aut nervos vellicat; nulla nephritis renes infestat; nulla pleuris costas cruciat, nullum asthma pectus angustat; nulla cephalalgia, aut odontalgia caput ad dentes divexat. Quia ibi dolor non erit ultra: & Deus absterget omnem lacrymam ab oculis eorum. Apoc. c. 7. 17.

III. Quantis sumptibus dives Prius

ceps deliciis assuetus, nephritidis, aut podagræ acutissimæ dolores redimeret? Quantis auri talentis potens quispiam Monarcha mortis telum averteret, si posset; & quantum inde hauriret gaudium? Hoc gaudio perfruuntur sine fine beati in cælo: ubi cujusque corpus symmetriâ maximè decenti, temperie perquam nobili; ac sanitate, absque mortis metu, inviolabili gaudebit: & quidquid illic tangi poterit, gratissimam ad tactum proportionem exhibebit: neque enim ulla istic inæqualitas, asperitas, durities, aut scabrities occurrit: ubi scabratum, scabrosumque nihil uspiam reperitur: ubi dolor nunquam sentitur; ubi gemitus nunquam auditur: ubi triste nihil videtur; ubi malum nullum timeatur; ubi nihil durum, asperumque tactu percipitur.

Parænesis.

QUare ô Christiane! si infirmitas gravat corpus, si dolor occupat artus: si membra varia, varius torquet cruciatus: memento beatitudinis æter-

108 *Domus aternitatis. Consideratio*
næ, ubi nihil ampliùs gravat, nihil urit
nihil molestat, aut cruciat; sed dolor
patienter toleratus, convertitur in gau-
dium sempiternum. Si Cacodæmon in-
vitat ad pomum, aut cibum vetitum su-
mendum: Si leno ad tactum obscœnum
si lena (verè læna) ad actum turpem &
inhonestum pellicit: Memento volupta-
tatis ac beatitudinis æternæ, quæ ejus-
modi voluptate momentaneâ perditur.
Hic aut vincendum aut moriendum est.
Re vetitâ potiri, mors est; prurientem ta-
ctum cœercere, vita & gloriosa victoria
aut ergo vince, aut morere. Vince, &
vivas, in terra viventium, ubi nec mors
nec mortis umbra, sed vita & oblectati-
o tactûs reperitur perpetua.

30. *Aprilis.*

I. **C**ONsidera denique quòd voluptas
tactûs suavissima oriatur ex ætheris
ris celestis temperie & amœnitate: cujus
ut vel rudem concipias imaginem, cogi-
gita celebres olim Alcinoi hortos, de quibus
quibus Homerus Odyss. 7. quòd ob petiti-
petuam aëris clementiam, nec hyemem
fili

nec æstate fructus in eis deficient, sed toto anni decursu perdurent : & quidem zephyrus semper leniter spirans , hos crescere, illos maturescere faciat ; ita ut pyrum post pyrum, malumque post malum , post uvam uva , post ficum ficus germinet , floreat, crescat & adolescat. O horti jucundi ! ô amœna tempe ! At quàm longè amœnior paradïus cœlestis, quem blanda , & perpetua auræ supernæ suavitas perflat , quem constans ætheris cœlestis puritas oblectat , quem veris continui serenitas mirificè demulcet & favoniorum paradisiacorum blandè aspirantium lenitas intimè recreat. O optanda cœli temperies ; post mundi hujus turbines !

II. Ad hæc quanta erit voluptas, in ea regione degere ; ubi æther nunquam pluit, nunquam ningit, nunquam tonat, nunquam fulgurat , nunquam æstuat, nunquam riget ; sed omnes æstus , tempestates, frigora & ventorum murmura penitus ignorat ; longè ampliùs, quàm olim in paradïso terrestri, de quo S. Basilïus Lib. de paradïso : *Illic, ait, plantavit*

vit

110 *Domus aternitatis. Consideratio*
vit Deus paradisum, ubi non est ventorum
violentia, non temporum immodestia, non
grando, non fulmina, non turbines; non
hiberna congelatio, non veris humiditas,
non aestivus calor, non autumnalis siccitas;
sed temperata ac pacifica concordia
temporum; inter se: tempora enim illa
tripudiant, inò simul cum bonis suis
patim concurrunt, veris iucunditates, aesti-
tis alimenta, autumnalis Letitia, hiberna
quies. Quapropter.

III. Ex hoc Paradiso terreno, ad caelestem, mentem eleva; & videbis illum hujus solùm umbram, & rudem esse imaginem: de hoc cum S. Petro Damiano in hymno, verè canes: *Hyems horrens aestas terrens istic nunquam seviunt; ver perpetuum, caelestibus floribus favoniis exhilarans, regnat. Verè quae cum Alchimo avito concines, Parad.*

Hic ver assiduum, caeli clementia servat,

Turbidus Auster abest, sempèrque sereno aère sudo,

Nubila diffugiunt, jugi cessura sereno.

Ex quibus summam cœli temperiem, jucundissimamque cœlestis paradisi amœnitatem, ejusque voluptates, nunquam desituras intelliges.

Colloquium.

O Mortales! qui vel sub zona torrida æstuatis; vel sub arcto, brumali frigore rigetis ac tremitis; vel in alio mundi climate, nunc ardores, nunc rigores immodicos toleratis; cur, tam rarò, tamque frigidè ad illam cœli regionem aspiratis; quam nec frigus nec æstus, nec nix nec pluvîâ, nec ulla tempestas infestat; sed veris sempiterni amœnitas recreat? Deinde quis non libenter ferat hujus aëris nubila, inclementiam & incommoda, brevi tempore; ut cœlesti serenitate fruatur totâ æternitate? *O beata regio paradisi! regio deliciarum! ad te suspiro de valle lacrymarum! Beati qui habitant ibi, & laudabunt Deum in secula seculorum. S. Bernard.*

CON-

CONSIDERATIO XI.

Satietas beatæ æternitatis.

Satiabor, cum apparuerit gloria tua
Psal. 16. 15.

1. *Maji.*

I. **N**ULLA est in hoc mundo rerum
renarum satiety; mundus enim
est locus famis & sitis, cupiditatis &
quietudinis, penuriæ & indigent
Non satiatur oculus visu, nec auris aud
Eccle. c. 1. 8. Nec gustus gustatione,
odoratus odore; nec tactus voluptate
unde ad famem, sitimque explenda
mundus non affert nisi vasa vacua; o
nia enim mundana, sunt inania; sunt
fa & dolia Danaidũ, per quæ, omnia
fusa, mox effluunt: In cœlo autem
tur satiety; *Satiabor, cum apparuerit*
ria tua. l. c. in hac gloria, omnia vasa
plena (sicut olim vasa Viduæ. 4. R
c. 4. 6.) oleo lætitiæ & exultationis;
perfecta satiety oritur.

II. Sicut ignis materialis nunquam
dicit sufficit, & quamdiu ligna sup

tunt, ardoris terminum nescit: Ita mundus, totus, in malo igne concupiscentiarum positus, nunquam satiatur, *nunquam dicit sufficit*: numeres in divitiis, centena, imò millena aureorum millia: Non satiatur oculorum concupiscentia: pari modo, frui voluptatibus omnium sensuum, quantum cor tuum desideraverit; non satiatur carnis concupiscentia: ascende in honorum gradibus, usque ad thronum regium, non satiatur vitæ superbiâ: semper enim clamant sanguisugæ hæ, *affer, affer*, & si quid afferas, oleum flammæ injicis. *Satiabor cum apparuerit gloria tua* l. c.

III. Famem hanc infatiabilem expertus est David, Rex gloriosissimus, qui nec dignitate ac potestate regiâ, nec voluptate & opulentiâ, unquam satiari valuit; unde clamabat, in omni rerum terrenarum copia: *Ego mendicus sum, & pauper*. Psal. 39. 18. Et quasi nunquam hactenus fuisset satiatus; sed semper famelicus, dicebat: *satiabor*: sed quando? *Cum apparuerit gloria tua*. l. c. Idem quoque expertus est Salomon Regum sapientissi-

114 *Domus eternitatis. Consideratio*
pientissimus, qui omni honorum, opum
deliciarum, ac voluptatum excogitatio-
lium affluentia, si quisquam alius, cum
latus fuit; sed num iisdem satiatus? Ni-
nimè gentium: ait enim: *In omnibus*
peri vanitatem, & afflictionem spiritus
Eccle. c. 2. 17. Adeoque nihil in mundo
reperies, quod satiet, cor enim capax
finiti boni, finito nunquam hinc explen-
tur: sed in gloria cœlesti, eo plenè ac-
quiescens, nè satiabitur. *Satiabor cum apparuerit*
gloria tua. l. c.

Colloquium.

QUàm igitur stultè agis, homo
dum satietatem quæris, in loco
sterilitatis & famis; in vacuo & inanis
plerionem. *Cur per multa vagaris, quæ-
rendo bona corporis & anime tua? An
unum bonum, in quo sunt omnia bona
sufficit. S. Aug. med. c. 18. Deus tibi
tum est: si sitis, aqua tibi est; si in tenebris
es, lumen tibi est; si esuris, panis tibi
si nudus es, immortalitatis tibi vestis.*
S. Aug. Tract. in Joan. si pauper es, thesaurus
saurus est; si tristis es gaudium est;

despectus es, honor est; verbo, omnia
omnibus est.

2. Maji.

I. **C**onsidera, sicut in Mundo conti-
nua fames est & penuria; cum
nec oculus nec auris, nec stomachus, nec
appetitus, ita explebilis sit, ut non rur-
sum fame prematur: ita in cœlo perfecta
erit satietas, teste Propheta: *satiabor.*
I. c. *Ibi ait S. Cyprianus, non gustabunt,*
quàm suavis sit Dominus, sed implebuntur,
& satiabuntur dulcedine misericordiae, nihil
eis deerit, nihil oberit, omne desiderium
eorum Christus praesens implebit. Et qui-
dem, quod mirum est: satietas erit abs-
que fastidio aut nausea. Talis, inquit S.
Augustinus, erit ista delectatio pulchri-
tudinis divina, ut semper tibi praesens sit,
& nunquam satieris; imò ut semper satie-
ris & nunquam satieris: si enim dixerò,
quod non satiaberis, fames erit: si dixerò
quod satiaberis, fastidium times: ubi nec
fastidium erit, nec fames. Quid dicam,
nescio; sed Deus habet quod exhibeat.
Tract. 3, in Joan.

II. Sa-

II. Satiabitur ergo homo integrè & c
 perfectè, sublatâ omni fame & inq per
 tudine: enimvero, tunc planè homo etib
 tiatus dicitur, quando nihil est, qu sem
 appetitus ejus ultrâ desideret: in cœ alia
 autem gloria, quid ultrâ beatus des ubi
 rare poterit; cùm Deum perfectè pe etia
 deat, in quo sunt omnia? Similis me
 Deo, videbit enim eum sicuti est. Q lag
 desiderare ultrâ poterit? an bona? D rur
 eum constituet, super omnia bona qui
 An hæreditatem opulentam? Erit ha visi
 cœli, cohæres Christi, quem Pater om
 stituit hæredem universorum. An nih
 num? cum Deo regnabit in ætern fru
 & ultrâ. An gaudia, recreationes, in
 riam felicitatem? *Exultabunt sancti nu*
gloria, videbunt Deum & gaudebunt, ex
tabuntur, delectabuntur, fruuentur pe
& in felicitate jucundabuntur æterni.
 Cyprian. ad Demetriad. Et causam
 dit: quia *satiabuntur.*

III. In hac mortalitate, nunquam
 tiatur memoria speciebus & cogita
 nibus; plures enim & plures semper
 cipit: non satiatur intellectus scien
 & c

& cognitionibus ; plura enim scire semper exoptat ; non satiatur voluntas affectibus & amoribus , plura enim & plura semper concupiscit ac desiderat. Longè alia res est in cœlesti gloria : ubi *satiabor* : ubi non solum satiantur sensus ; verum etiam animæ potentiæ. Satiatur enim memoria in infinito illo Divinitatis pelago, quasi absorpta, omnium ærumnarum præteritarum velut oblita ; nec aliquid ultrà expetit : satiatur intellectus, visione beatificâ Divinitatis , ejusque omnipotentia , sapientiæ ac bonitatis, nihilque ultrà quarit : satiatur voluntas fruitione, amore, gaudio ac possessione infiniti, æternique boni, bonorum omnium fontis & scaturiginis ; & nihil ultrà exoptat aut desiderat. Plena igitur ibi & perfecta erit satietas.

Colloquium.

A Peri igitur oculos mentis tuæ, anima mea, & observa discrimen bonorum mundi, quæ nunquam satiant ; & cœlestium, quæ plenè explent omnia desideria. Quid enim ibi deesse potest,
ubi

118 *Domus eternitatis. Consideratio*
ubi Deus est, cui nihil deest? O quid
cemus de illa plenitudine, gloria, fru
tione summi boni? *Omnia dici*
sunt, de illa ineffabili fruitione veritate
Et tantò magis omnia dici possunt, quò
minus aliquid dici potest. Nam Et lux
illuminatorum, requies exercitatorum,
patria redeuntium, Et esca indigentium
Et corona vincientium, Et quaecunque
temporalia transeuntia, per creaturam
partes, error appetit infidelium, veritas
Et in eternum manentia, in Creatore
invenitur, simul inventura est pietas Filiorum
S. Aug. L. 2. quæst. Evang. p. 39.

3. *Maji.*

I. **B**eatitudo cœlestis, ut docet
Doctor Angelicus opusc. 63. con
in cognitione, dilectione, fruitione, in
laude, gratiarum actione Et congrua
tione. Ex his autem oritur perfectio
tietas & quies. *Primum est visio.* De
expressè loquitur Propheta: *Satiabor*
cùm apparuerit gloria tua. l. c. Ter
Chaldæus vertit: *Satiabor, ubi*
laverit gloria vultus tui. Nunc

recta est gloria Dei, veluti Sol, cum est in altero hemisphærio: exurgit autem & quodammodo evigilat, cum ad nos redit ac se nobis ostendit. Satiabor igitur, ubi divinus Sol, exsurrexerit, vultumque suum mihi ostenderit. *Adimplebis me letitia cum vultu tuo.* Psal. 15. II. id est, te, facie ad faciem viso. *Inde plenitudo, inde satiatio, cum apparuerit gloria Domini. Ibi omnes promissiones, Hoc est plenum gaudium, promissum à Christo, qui replet in bonis desiderium nostrum.* S. Bern. serm. de obed.

II. Alterum nos beans & satians est dilectio, sine qua beatitudo perfecta non est: beatitudo enim est *status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ut docet Boëtius L. 3. de consol. prosa 2. atqui si desit amor & gaudium, non poterit dici status omnium bonorum aggregatione perfectus, ut cui maxima animi bona violentè sint ablata vel intercepta. Amat ergo beatus Deum, ut summum bonum, amore benevolentiae, & simul amore concupiscentiae: eoque amore satiatur.

Pars II.

F

III.

III. Tertium satians & beatus est *Fru-
tio.* Ex qua sequitur unio cum Deo
laus, gratiarum actio & congratulatio
De qua loquitur, S. Augustinus *Ne
beatus est, qui eo quod amat, non fruitur.
Quisquis autem fruitur eo, quod amat,
verumque & summum bonum amat, quod
eum beatum, nisi miserimus, negat.*
L.8. de civ. c.9. Hoc bonum summum
est Deus O. M. qui est summa pulchritudo,
summa fortitudo, Sanitas, ebrietas,
voluptas, melos, sapientia, amicitia,
eternitas, beatitas, satietas & omnia
bona. Quod bonum dum beatus videt
amat, eoque fruitur; ubertate sumit
abundantiam maximam, & satietate interitur
atque perfectam beatur.

Desiderium.

O Satietas beata! O ubertas copiosa!
ô supereffluens abundans!
quando fruam te? quando explebor a te?
ô quam anhele ad te! *gloriosa dicta
de te civitas Dei: sicut enim latant
omnium habitatio est in te: nullus
timor est, tristitia nulla; desiderium*

ne transiit in gaudium, dum præsto est, quidquid optatur, & quidquid desideratur abundat: Deus enim est illis gaudium & recreatio; cibus & refectio; potus & inebriatio, deliciæ & divitiæ, voluptas & honor atque omnia bona; quæ ita satiantur ut nihil ultrà appetant. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

CONSIDERATIO XII.

Vita beatæ æternitatis.

Iusti autem in perpetuum vivent.

Sap. c. 5. 16.

4. Maji.

I. **C**ontraria juxta se posita, magis elucescunt: quare ut vitam illam beatam meliùs capias, considera priùs, *miseram*, quam hîc trahimus vitam, vitam *arumnosam*, vitam *periculosam* & quidem Primò hæc vita, est *vita misera*: quia est vita *caduca*, vita *incerta*, vita *tædiosa*, vita *immunda*, vita *Domina malorum*, regina *superborum*, plena *miseriis & erroribus*, quæ non est vita *dicenda*, sed *mors*; in qua momentis sin-

F 2

gulis

122 *Domus aternitatis. Consideratio*
gulis morimur, per varios mutabilitate
defectus, diversis generibus mortium
omnes enim, siue velimus, siue nolimus
innumeris hisce involvimur miseriis.
Homo natus de muliere, brevi vivens te
pore, repletur multis miseriis, ait Job
14. Etiam illi, qui aut sibi, aut vultu
videntur miseri minimè: si enim hinc
tem suam, quam felicem autumant, pro
nitius inspiciant; haud dubiè invenirent
refertam morbis, doloribus, defectibus
mutationibus, revolutionibus, caliditate
& calamitatibus, quibus illi, qui vultu
miseri sunt, videnturque, revera carere
& ex hac parte felicibus illis felicitatem
existunt, atque ad emergendum e
miseriis expeditiores: utrobique carere
miseria; quâ caret cœlestis vita.

II. Vita quoque præsens admodum
periculosa est plena laqueis ac decipiis
quamdiu enim hinc vivimus, in multo
cibus ac difficilè superato, periculis
gimus, Deum offendendi; beatitudinem
æternâ excidendi; & in perditionem
tremam, perpetuamque incidendi; atque
bus periculis, nos vitæ beatæ adde

prorsus liberat: ut enim ait S. Augustinus: *Libertas prima, que fuit in paradiso terrestri erat, posse non peccare: libertas secunda longè major est in paradiso cœlesti, non posse peccare.* L. de corrept. & gra. c. 11. ac proinde non posse beatitudine excidere.

III. Vita præsens est etiam *arummosa*, tædiis, curis, molestiis, laboribus sudoribusque continuis gravata. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. c. 3. 19. quibus omnibus vita beata immunis est. Et tamen quanta est miseria & vecordia nostra, ut non tædeat nos miseræ hujus vitæ; ut illam adhuc amemus; ut ex ea ad patriam, à labore ad requiem, à periculis ad securitatem; ab ærumnis & molestiis ad refocillationem, à miseriis ad beatitudinem transire cunctemur; ut ad vitam illam felicem & jucundam, tam frigidè aspiremus, anhelemus ac contendamus. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea.* Psal. 119. 5.

Affectus tædii.

O Domine ! *tædet animam meam* *vita mea*, miseræ, periculosa, & rumnosa. *Educ de custodia* [seu carcere] *animam meam, ad consistendum tibi in tui.* Psal. 141. 8. O vita vivens cum Deo, vivens ex Deo, vivens in Deo, vivens de Deo ! Tu nos expectas, tu nos invitans, tu nos desideras : & nos ignoramus te, negligimus te, elongamur à te, & moramur venire ad te : bis infeliciter miseriam & miseram vitam istam, miserè amamus, & illam vitam beatam, miserè non amamus. *Tædet, Domine, tædet animam meam vitæ meæ*, aut nondum tædet, oro, ut tædeat animam meam, vitæ hujus temporis, ut anhelat & veniat ad vitam beatæ æternitatis. *Hæc requies mea in seculum seculi.* Psal. 131. *Quis mihi dabit pennas, sicut colombe, & volabo & requiescam in ea.* Psal. 55.

5. *Maji.*

I. **O**ppone nunc vitæ præsentis miseriam, vitam futuram, quæ est vita beatæ æternitatis.

beata, amœna, delectabilis & perfecta: ipsa enim continet omne bonum, omne pulchrum, omne amabile, estque omni ex parte perfecta quâ humana, quâ angelica, quâ divina est. Hæc vita agitur in terra viventium. Ibi est fons vitæ jugiter manans & scaturiens; ibi est fluvius vitæ, dulciter fluens; ibi est arbor vitæ, suaviter pascens; sunt ibi germina, flores & fructus vitæ reficientes & oblectantes sine fine. Fons vitæ est Deus Pater, ex quo procedit Filius, qui est vita. Fluvius vitæ, est Spiritus Sanctus, continens aquam salientem in vitam æternam, Arbor vitæ est Christus Dominus, in medio paradisi cœlestis plantatus, reficiens incolas dulcibus fructibus. Flores & fructus vitæ sunt Angeli & homines beati, Deo præbentes saporem & odorem suavitatis.

II. Perpende deinde ipsam vitam cœlestem, quæ est vita beata, vita fortunata, vita gloriosa, vita voluptatis & gratiæ, suavitatis & lætitiæ, benignitatis & gloriæ; ubi requies à labore, jucunditas de novitate, de æternitate securitas. Audi

126 *Domus aeternitatis. Consideratio*
S. Augustinum cum exultatione, & ad-
miratione exclamantem: *O tu vitam*
quam preparavit Deus his qui diligunt
eum! Vita vitalis, vita beata, vita jero-
solymitana, vita tranquilla, vita pulchra, vita
mundana, vita casta, vita sancta. Luce
me tua intendere claritati, delectantur in
bona tua avido corde: quanto plus te con-
fidero; tanto plus amore tui languor
Med. c. 22.

III. Vita illa est summè *delitiosa*,
læta, *vita amœna*, in qua reperitur
omnis *suavitas*, omnis *jucunditas*, omnis
amœnitas, omnis *pulchritudo* & omnis
dulcedo. Quidquid expedit & quicquid
quid *delectat* tibi est: omnes *videlicet*
divitiæ & *deliciæ*, omnis *requies* & omnis
solatium. Ibi est *jugis tranquillitas*,
amœna serenitas, *æterna prosperitas*,
jucunda & decora laudatio & *plena om-*
nium bonorum possessio. Deinde est
vita copiosa, ubi nihil deest *videntibus*
eum: est *vita suavis*, in qua apparet *Do-*
minus, *suavis universis*: est *vita pacifica*,
quia in *pace factus est locus ejus*: est *vita*
felix, in qua sunt omnia bona, in *char-*
ritate

ritate perfecta : à qua absunt omnia mala , nec ea unquam timenda : ubi plena scientia in omnibus & per omnia reperitur : ubi summa Dei bonitas facie ad faciem cernitur : ubi lumen illuminans à Sanctis glorificatur : ubi præsens Majestas Divina & sacrosancta Trinitas , coram conspicitur : ubi hoc cibo suavissimo , sine omni defectu , mens intuentium satiatur : ubi gustant & vident semper ; ac gustare & videre semper desiderant ; sed sine anxietate desiderant , & sine fastidio satiantur.

Aspirationes.

O Vita felix ! ô vita terque quaterque beata ! Quando vitam hanc mortalem finiam , ut ad te vitam vitalem & immortalem perveniam ? Ah ! moriar pro te , ut vivam in te ! *O fons vite ! vena aquarum viventium , quando veniam ad aquas dulcedinis tue , de terra deserta , in via & in aquosa ; ut videam virtutem tuam & gloriam tuam , & satiem ex aquis misericordie sitim meam ? Sitio , Domine , fons vite es , satia me . Sitio Do-*

F 5

mine

128 *Domus eternitatis. Consideratio*
mine te Deum vivum. O quando veniam
& apparebo Domine ante faciem tuam
S. Aug. solil. c. 35.

6. *Maji.*

I. **D**Enique perpendendum, quod
vita Beatorum sit perennis ac per
petua. Vita nostra præsens est brevissi
sima, cum vita æterna comparata: quæ
celeriter transit: unde Job queritur
Dies mei velocius transierunt, quam à te
xente tela succiditur. c. 7. 6. Est umbra
fugax: *Quoniam sicut umbra dies nostri*
per terram. Job. c. 8. 9. Est quasi unum
diei: *de mane usque ad vesperam finies*
mea. Isaia c. 38. 12. Est potius continua mor
talis, quam vita: dum orimur, morimur:
Dum adhuc ordiretur, succiditur
mea. Isaia l. c. quot momenta vitæ nostræ
fluunt, tot particulis vita nostra extinguitur,
velut in candela & lampade oleum aut sebum,
non uno simul momento, sed successivis stillulis consumitur.
O vita fluxa, vita mortalis, & brevissima!

II. At vita beata est longissima, immo per-

perpetua : *Iusti autem in perpetuum vivent.* Est vita immortalis, è qua mors ejecta & præcipitata est in æternum. Est vita indeficiens, in qua nec defectus, nec senectus, nec morbus, nec mors : sed copia, juvenus, sanitas perennis, gloria solennis, lætitia sempiterna, solennitas continua. *Non senescunt, non tabescent, non putrescent amplius ; perpetua sanitas, felix æternitas, beatitudinis illius sufficientiam confirmabunt.* Ait S. Cyprianus ad Demetriadem.

III. O qualis erit illa vita ! In qua, ut ait S. Basilus in Psal. 44. *Non nox, non somnus mortis imago, non cibum aut potus, humana infirmitatis præsidia, non morbus, non dolor, aut medicina, non judicia, non Mercatus, non artes, non pecunia malorum origo, bellorum materia, inimicitia radix, in regione viventium, non morientium ob peccatum, sed vitam æternam viventium in Christo Jesu Domino nostro.* O qualis erit illa vita ! Vita carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum ; ubi continuus sine nocte dies, nescit habere tempus, ignorat occasum:

130 *Domus aeternitatis. Consideratio*
ubi victoriosi athletæ Angelorum cele-
ris societati, sine cessatione jubila-
triumphant, & Deo cantant canticum
canticis Sion: *Nobile perpetuâ caput
plectente coronâ.*

Affectus spei.

SPero Domine, vitam æternam, immo-
talem, indeficientem: atque ut
*rem tua omnipotentia erigit, tua
bonitas firmat, tua promissio roborat,*
*fili merita confirmant, in te Domine spero
vi non confundar in aeternum.* S. Bern.
in ps. qui habit. Spero itaque & con-
do in te: & vitam hanc umbratilem
bens deseram; ut ad vitam perpetuam
tò perveniam. O vita ignara mortis,
nescia tristitiæ, vita sine labe, vita sine
anxietate, sine corruptione, sine pertur-
batione, sine mutatione! Ex hac terra
morientium suspiro ad te, spero te, & ex-
do videre bona Domini in terra viventium
Psal. 26. 13. Terra autem viventium co-
lum est. *Placebo Domino in regione viven-*
rum. Psal. 114. 9.

CON

CONSIDERATIO XIII.

Pax beatæ æternitatis.

Qui posuit fines tuos pacem. Psal. 147. 14.

7. Maji.

I. IN hoc mundo nunquam & nusquam pax est; sed bella & undique bella. Mundus enim est vastum belli theatrum; est campus martius, area certaminum, ager sanguinis, in quo prælia fervent, tela volant, arma sonant, tormenta bellica reboant, pericula instant, hostes instant, vulnerant, trucidant. Sunt autem duplicis generis certamina & prælia; alia externa cum hostibus visibilibus; interna alia cum invisibilibus adversariis: & contra hostes utrosque dimicandum est; ita ut quocumque te veritas, nusquam securitatem reperias.

II. *Bella externa*, quàm multa & varia, ætate nostrâ, gesta sunt, in Germania, Italia, Gallia, Hispania, Hungaria, Austria, Polonia, Anglia, Suecia, Dania, Belgio &c. Et quot in iis hominum millia perempta? quot regna vastata?

F 7

quæ

132 *Domus aternitatis. Consideratio*
quæ damna illata? Referent ea Histo-
ria, pro memoria posterorum. *Bella in*
terna moventur omni loco & tempore
jam Mundus bella ciet, & corda oppug-
nat: jam caro illecebris adversus ani-
mam militat: jam dæmon classicum can-
tat, insidias parat, tela vibrat, & arma
intentat. Ad hæc esuries & refectio
somnia & vigilia, labor & quies, morbi
& sanitas, contra nos in arenam descen-
dunt. Prospera decipiunt, adversa per-
turbant, blandiuntur amici, inimici per-
sequuntur Sic undique bella.

III. Hostis tamen præ cæteris, calli-
dior & ferocior est serpens antiquus; ve-
rius nos armis oppugnans: *Novit enim*
cui adhibeat astus cupiditatis, cui illecebra
gula ingerat, cui apponat incitamenta luxu-
xurie, cui infundat virus invidia. Novit
quem mœrore conturbet, quem fallat ga-
udio, quem metu opprimat, quem admira-
tione seducat: omnium discutit consuetu-
dinem, ventilat curas, scrutatur affectus.
Et ibi querit causas nocendi, ubi quemque
viderit studiosius occupari. S. Leo. sermo
8. de nativ. Ideoque inter hæc quoti-
diana

diana certamina, in hostili regione versantibus, semper huc illucque circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda cervix. At alia omnia sunt in cœlo, scilicet pax perpetua, serenitas invariata, tranquillitas imperturbata; & sempiterna de Dæmone, mundo & carne victoria.

Querela.

O Infelix ego homo! quis me liberabit de tot hostium manibus? quis è tot externis, internisque præliis eruet? *Complaceat tibi Domine, ut eruas me.* Psal. 39. O quàm infelix regio! in qua necesse est assiduè adversarios pati & bella gerere: si enim piè vitam instituas, persecutionem hominum non evades: si vitam impiam duxeris, incidēs in manus omnipotentis, qui te persequetur, qui vivum mortuumque mactabit, cujus iræ nemo valet obistere. O Princeps Pacis? quando è continuis hisce præliis fessum caput erigam? Quando licebit interesse pacificis Beatorum Choris: quibus tu es diadema decoris, & lætitia sempiterna

terna

134 *Domus aternitatis. Consideratio*
terna super capita eorum, pacificans
intus & extra in pace tua, quae exsuperat
omnem sensum? S. Aug. solil. c. 36.

8. *Maji.*

I. **I**N cœlo pax summa est intus. S
pax interna. Illi enim civitati qu
drat illud Isaiaë vaticinium: *Opus*
tie pax & securitas usque in sempiternum
& sedebit populus meus in pulchritudine
pacis & in requie opulenta. c. 32. 17. H
jus autem pacis, duplex potissimum
causa. Prima est, quia cessat in Beati
concupiscentia prava & rebellio carnis
erunt enim sicut *Angeli Dei*. Notat
S. Cyprianus ad Demetriadem scribens
Non erit, illic, concupiscentia in membris
non ultra exsurgit ulla rebellio carnis
totus status hominis pacificus & pudicus
sine omni macula & ruga deinceps perfe
nebit: Erit Deus omnia in omnibus, & illius
presentia, omnes animæ & corporis satietas
appetitus.

II. Altera pacis causa est summa Co
lestium inter se *Charitas*, bonorum o
nium communio, affluentia & ubert
ca,

Pax enim, teste S. Augustino serm. de verb. Dom. est *Serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium Charitatis*. Quæ omnia eminenter reperiuntur in Beatis. Licet enim cœlestis Hierosolymæ cives sint innumeri, ex omnibus gentibus, & tribubus & populis & linguis congregati, & rursus ex Angelis & Archangelis, non gentibus & populis aut linguis, sed naturæ diversitate & differentiâ specificâ distinctis, unicâ tamen ac solâ charitatis lege omnes reguntur, atque ideo maximâ concordia, unanimitate, amicitia ac pace fruuntur.

III. Et quia charitas, odio, invidia, contentioni, iræ, rixæ, ac discordiæ repugnat, cuncta ejusmodi vitia, ex ista Civitate beata exulant, solaque charitas, & cum ea justitia, pax & gaudium in spiritu Sancto regnant. Quare nemo ibi irascitur, nemo læditur, nemo conqueritur, nemo invidet, nemo litigat, nemo provocat, nemo duellat; unisona, convenientia & concordia sunt omnia; quia pacifica, tranquilla & quieta sunt omnia.

Aspira-

Aspirationes.

O Princeps pacis ! quando admittis
 me in regnum perpetuæ tranqui-
 tatis ? O Rex pacifice ! tu vitâ , morte
 passione tuâ , sustulisti bellum inter
 Deum & homines : inter Homines
 Angelos : inter homines & homines
 que inter carnem & spiritum : & tam
 quot hodie dum ubique terrarum ex
 sâ pace , committuntur prælia , regna
 diffidia , audiuntur jurgia ? O quis
 det , ut omnes belligerantes , discor-
 rixantes , litigantes , duellantes invice-
 reconciliem & juvem ad ineundum
 culum amoris , consortium charitatis
 perveniant ad regnum divinitatis ?
 vere Salomon ! Qui toties dixisti : *Pax*
vobis ! Pacem relinquo vobis , pacem ma-
do vobis. Joan. c. 14. 27. Daur in
 exilio , in loco pugnæ , Sæculares & La-
 Clerici & Religiosi *simus omnes solus*
servare unitatem spiritûs , in vinculo
cis. Ephes. c. 4. Quò tecum regnare
 reamur in cœlesti Sion : ubi pax est
 petua , requies opulenta , honestas &

ria : *Amor & concordia dulcis & vita perennis.* S. Bern. med. 4.

9. Maji.

I. **I**N cœlo quoque est *pax summa foris & extrâ.* Factum est quidem, initio creationis rerum, *prælium magnum in cœlo*, inter Michaelum Archangelum & Draconem &c. Sed Michael cum Angelis sibi adhærentibus, de Lucifero ejusque Sociis rebellibus atque in superbiam erectis, victoriam reportavit; eosque in inferni abyssum præcipitavit. Ab illo autem tempore Jerusalem sancta posuit fines suos pacem, nec audita est in ea tuba bellica, neque audietur ultrâ usque in sempiternum. Ad illam enim, deinceps nullus appropinquare potest hostis, nullus minatur Tyrannus, nullus terret inimicus exercitus: ita ut veriùs illi, quàm terræ Israël conueniat divina promissio: *Dabo pacem in finibus vestris; dormietis & non erit qui exterreat, auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros* Levit. c. 26. 6.

II, Constituta est igitur huic beatæ
Civi-

138 *Domus eternitatis. Consideratio*
Civitati, pax perpetua, ab omni hoste
externo libera, ab omni impugnatione
& invasione secunda: de ea enim in spiritu
tu vaticinatus est David: *Quoniam confortavit*
fortavit seras portarum tuarum, & non
suit fines tuos pacem. Psal. 147. Hostes
arma confregit, arcum contrivit, lanceas
igni combussit, gladium in vomeres,
lanceas in falces convertit, regnumque
suum æternâ tranquillitate firmavit &
stabilivit. O tuta, ô beata civitas!
qua intus nulla seditio, nulla foris
invasio, nulla persecutio, nulla pugna,
nulla inimicitia locum reperit!

III. Quid dulcius? Quid amœnitas
Quid securius? Quid felicius quam
habitare in hac cœlesti civitate? Quibus
nota sunt mala bellorum, deprædationes,
cædes, rapinæ, sacrilegia; hi in
lo negotio vident, ac deprædicare possunt
sunt, quanta sit amœnitas & jucunditas
pacis, quare hanc speremus, hanc amemus,
ad hanc animum aspiremus.
nita vitâ [vitæ] habitabimus in illa
vitae, quæ nunquam ruitura est; quæ
& Dominus habitat in ea, & custodit eam

quæ est visio pacis, æterna Hierusalem pacis illius, cui laudanda lingua non sufficit. Ubi nullum hostem jam sentiemus, nec in Ecclesia, nec extra Ecclesiam, nec in carne nostra, nec in cogitatione nostra. Absorbebitur mors in victoria, & vacabimus ad videndum Deum in pace, facti cives Hierusalem civitatis Dei. S. Aug. in Psal. 134.

Suspiria.

O Beata Civitas! ô visio pacis! toto corde ad te suspiro, totâ mente ad te anhele: ad te festino, ubi summa pax regnat, & jugis tranquillitas rutilat. S. Aug. med. 37. ubi omne bellum exulat: ubi omnis pugna & lucta cessat. O Athletæ Christiani, gratulor vobis, tam generosè pro ea, ubique terrarum, dimicantibus! O milites mundi, compatiar vobis, pro urbe aliis acquirenda, in necem ruentibus, & pro pulchra illa Hierosolyma cœlesti, ac pro regno pacis æternæ vobis ipsis lucrando, vix pedem à terra levantibus! Admiror vos, ô Reges & Principes terrarum, qui pro digi-
tali

140 *Domus aternitatis. Consideratio*
tali terræ gleba, bella geritis atrociora,
pro arena modica, orbem cædibus fun-
statis. Nunc ergo Reges intelligite, ca-
leste Regnum vertici vestro incumbens
aspicite & suspicite: pro illo arma co-
ripite; pro illo pugnate, donec expu-
netis: nullum pro illo, bellum injustum
est. Sed pugnate fortiter, aliàs nunquam
illud expugnaturi: *Regnum enim calor-
vim patitur, & violenti rapiunt illud.*
Matth. c. 11. 12.

CONSIDERATIO XIV.

Requies beatæ æternitatis.

*Amodo jam dicit spiritus, ut requiescat
à laboribus suis. Apoc. 14. 13.*

10. Maji.

Requies æterna, quam Ecclesia
delibus defunctis toties apponit
catur; quæque in regno beatitudinis
obtinetur; à ternis nos miseris libera-
est enim *requies à laboribus; requies à tur-
bis & turbationibus; requies à mutatio-
nibus & revolutionibus.* Ac primò quæ-
dem, est *requies à laboribus.* *Amodo jam*

dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. l. c. Quamdiu in hoc mundo degimus velut in grandi quopiam ergastulo, sine intermissione & requie, laborandum, sudandum, fabricandum, & operibus innumeris insistendum est. Describit ea eleganter Innocentius Papa, hisce verbis: *Currunt & discurrunt mortales, per sepes & semitas; ascendunt montes, transcendunt colles, transvolant rupes, pervolant Alpes, transgrediuntur foveas, ingrediuntur cavernas, rimantur viscera terra, profunda maris, incerta fluminis, opaca nemoris, invia solitudinis, exponunt se ventis & ruinis, & præcipitiis, imbribus, tonitruis, fulminibus, fluctibus & procellis.*

II. *Metalla cadunt & conflant, lapides sculpunt & poliunt, ligna succidunt & dolant; telas ordiuntur & texunt; vestes incidunt & consuunt; adificant domos, plantant hortos, excolunt agros, pastinant vineas, succidunt clibanos, extruunt molendina, piscantur, venantur & aucupantur; meditantur & cogitant, consiliantur & ordinant; queruntur & litigant, diripiunt*

142 *Domus aeternitatis. Consideratio*
piunt & furantur; decipiunt & merca-
tur, contendunt & praeliantur, & innume-
ra talia; ut opes congerant, ut quasus mu-
tiplicent, ut lucra sectentur, ut honores
quirant, ut dignitates extollant, ut pote-
res extendant: & haec quoque labor ac m-
tis afflictio. Atque ita velut in erga-
lum compacti, assidue occupantur, & non
nearum instar sese eviscerant & non
rò de labore temporali, ad ærumnas
ternas descendunt.

III. O quàm longè alia facies est,
Domo quietis aeternæ! ubi sabbatum
perpetuum; cuius figura extitit dies
timus, quo Deus, condito sex diebus
mundo, ab opere ulteriore requievit.
igitur, velut in sabbato, cessat omnis
bor, cessat motus, cessat cursus, cessat
fabricatio, cessat plantatio, cessat per-
tio, venatio, aucupatio, & quaecumque
fatigatio. Jucundi autem sunt ibi
acta labores: & quo labor hinc fuerit
rior, eò, quies ibi erit amœnior, &
dulcior. O quis capiat, quanta sit
jus quietis suavitas! Collige id ex
ri conditione loci. Hinc est locus lab-

ibi sabbatum quietis : hîc in via sumus,
ibi in termino ; hîc in exilio , ibi in pa-
tria ; hîc in tempestate , ibi in portu ; hic
in sudore , ibi in requie , hîc in prælio ;
ibi in triumpho sempiterno :

Paranesis ad laborem.

ERgo , ô Christiane , labora sicut bo-
nus miles Christi ! Ah ! labora hîc
strenuè , ut merearis venire ad requiem
vitæ æternæ. Labora assiduè in vinea
Domini : quia non diu laborabis : labor
enim cum vita brevi finitur. *Et amodo
jam dicit spiritus , ut requiescant à labori-
bus suis.* l. c. *Amodo dicit spiritus , utique
Spiritus Sanctus , ut requiescant à labori-
bus suis.* Requiescant Principes à regi-
mine , Judices à lite , Ecclesiastæ à præ-
dicatione , milites ab armis , cives à mer-
cimoniis , opifices à mechanicis , coloni
ab agriculturis : *Opera enim illorum se-
quuntur illos , scilicet bonorum operum
merita ac præmia.* Hora brevis , labor le-
vis ; opera exigua , merces magna ; fatiga-
tio modica , & requies multa : *Modicū la-
boravi , & inveni mihi multam requiem.*
Eccli. c. 51. 35.

Pars II.

G

11.

11. *Maji.*

I. **D**Einde in illo tranquillitatis æternæ regno erit *requies à turbationibus*. Vita præsens est quæ fit populi concursus & occurfus, & turbæ sese invicem in foro & plateis comprimunt. O quot turbæ, in hac mortalitate homines, præsertim divites & nates, qui aliàs in opulenta requie locati putantur; cingunt ac premunt. An non turba ingens, curæ quotidie de conservandis, augendis, tuendis, meliorandis bonis, opibus, possessionibus, honoribus, dignitatibus? An turba eorum officia, magistratus, & horum voces, necessitates, promotionum, postulationes subrogationum, Reipublicæ consilia, pericula, & ipsorum capitibus impendentia? An non turba respectus humani, contemptus, metus crifeos, judiciorum, & universa idolorum legum, quid dicent homines?

II. Ulteriùs; an non omnis divites & m

& magnatum opulencia constat turbis; ita ut quantò plus turbarum, tantò plus divitiarum habere censeantur. Talis est turba pagorum, agrorum, domorum, saccorum pecuniæ, thesaurorum; turba famulorum, adulatorum, amicorum, mensarum, ferculorum, poculorum, musicorum, curruum, equorum, canum, quæ eos assiduè premunt; & impediunt, ut cum Zacchæo, præ turba, Jesum videre non possint; nec ad palatium illud omnibus turbis liberum, aspirare aut anhelare valeant. O quàm hi omnes commiseratione digni sunt! O locupletes! ô potentes! Quanta vestra erit felicitas, quando ab omnibus hisce turbis, turbationibusque omnino immunes, vivetis in Ecclesia triumphante, de qua Propheta Isaias c. 32. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Sedebit populus, id est, quiescet, non in pace fœda, à victore de victis expressa; sed in pace pulchra & gloriosa: & in tabernaculis, non timoris; sed fiduciæ & securitatis, & in requie opulenta, non solum

146 *Domus aternitatis. Consideratio*
solum à laboribus, ærumnis ac turbis
bera, verum etiam thesauris cœlestibus
dotata ac ditata, in quibus requiem æter-
nam inueniat.

III. *Sedebit* igitur populus Beatorum, *in requie opulenta*, quia degit & manet in centro suo, in eoque dulcissime requiescit. Quemadmodum ignis ferreus per in motu est, donec ad centrum ferreum ascendat: & acus magnetica, semper in motu est, donec ad polum se obvertat. Ita in mundo, omnes & omnia sunt in motu, in turba & turbatione, donec ad centrum suum perveniant: in quo Beati jam defixi lætantur. At in quomodo in Deo suo. Quiescunt enim in centro sanctissimæ Trinitatis: in centro potentia Patris: in centro sapientia Filii: in centro clementia benignissimi Spiritus Sancti. Sunt, manent & gaudent in centro visionis beatificæ: in centro dilectionis & fruitionis divinæ: in centro possessionis omnis boni: in centro infinitæ dulcedinis & suavitatis: in centro sempiternæ quietis, pacis, felicitatis & beatitudinis.

Affectus amoris.

O Deus meus! Quando admittes me in locum tranquillitatis æternæ? O centrum cordis mei, & meditullium amoris mei! Quando tot turbis me turbantibus ac prementibus, quando mundi hujus turbulenti turbinibus ereptus, requiescam in te? Quando satiabor à te? Quando delectabor à te, & delectabo te, in æterna beatitudine? O anime mi, inquiete, totiesque turbate ac perturbate! quid in rebus creatis requiem quæris & non invenis? Quid frustra alibi, quàm in Deo tuo, in centro tuo, in fine tuo, quietem cordis indagas? Audi Præfulem Hipponensem: *Versate & reversa, in tergum & in latus, & in ventrem, & dura sunt omnia. At tu Domine, solus requies, tu quies Sanctorum; creasti enim nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* S. Aug. L. 9. Confess.

12. Maji.

I. Denique in requie cœli opulenta; quies erit à mutationibus, alterationibus,

G 3

tionibus,

148 *Domus aternitatis, Consideratio
tionibus, revolutionibus.* Considera mun-
dum hunc esse tanquam ingens quod-
dam molendinum, cujus lapides mole-
res, molitores, & rotæ semper in motu
& actione sunt: aut velut decumantur
aliquod horologium, cujus rotæ, majores
& minores, homines pusillos & magnos;
cujus in quies corda; cujus pondera
affectus humanos adumbrant. Sic
verò rotæ, in continuo sunt cursu, ab
alias agentibus atque impellentibus
in quies præsertim, quæ semper in motu
est, in quiete nunquam. Ita quoque
hoc mundo, cujuscunque status & con-
ditionis homines, motu & inquietudine
continuâ agitantur. Sed unde hoc
Poëta Tragicus, ethnicusque id mor-
& sorti attribuit: *In mundo, ait, domi-
natur mors & fors, duo imperiosa Numi-
na, quæ nihil in sua quiete aut statu re-
quunt.* Aut, ut veriùs & magis Chris-
tianè loquamur, dominatur in mundo
Sapientia & providentia Numinis, quæ
morti imperat, sortes in urnam mitti
verfat, temperat ac moderatur.

II. Et quænam ibi quies esse potest

ubi assidua vicissitudo rerum & temporum, ubi ortus & occasus, vita & mors, risus & luctus, amor & odium, spes & metus, prosperitas & adversitas, in perpetuo reciprocae conversionis, & confusionis gyro rotantur? Quænam esse potest tranquillitas, ubi homo multis angustiis premitur, multis passionibus agitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus irretitur, multis erroribus circumfunditur, tentationibus impetitur, deliciis enervatur, penuriâ torquetur. At ab omnibus hisce mutationibus expedita est regio beata, & portus æternæ quietis, à quo omnis vicissitudo molesta exulat: ubi stabilitas invariata regnat, ubi quies imperturbata perennat.

III. Quietis hujus imaginem præbet templum Salomonis, è lapidibus doliatis, rite aptatis, perfectisque constructum. De quo L. 3. Regum c. 6. 7. legimus. *Domus cum adificaretur, malleus & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in ea.* Rationem reddit Doctor

150 *Domus aternitatis. Consideratio*
Angelicus 1. 2. q. 102. a. 4. dum ait
Per tabernaculum & Domum Dei, duplici
status designabatur: per tabernaculum
enim (quod est mobile) significatur sta-
tus presentis vite mutabilis; per templum
verò, (quod erat fixum & stans) signifi-
catur status vite futura, qua omnino im-
mutabilis est; ideoque in eo non est audi-
sonitus mallei & securis, ad significandum
quod omnis perturbationis tumultus long-
is à statu futuro. Veluti axis rotarum
horologii stat immotus; rotæ verò cir-
cæ eum gyrantur: aut sicut, si index ho-
rorologii fixus consisteret, horarum ver-
characteres & notæ; cum omnibus, qui
in horis fiunt, circumagerentur ac mu-
verentur, talem tibi imaginare statu-
beatitudinis; in quo ortus sine occasu
vita sine mutatione, serenitas sine nube
gaudium sine mœrore, requies sine la-
bore, status sine alteratione, sine passio-
ne, sine errore, sine turbatione, conve-
sione aut revolutione in primævo sta-
tu, & quiete immota, æternùm pers-
verat.

Aspir

Aspirationes.

Quanta est felicitas eorum, quam immensa letitia, de exhibitione presentis quietis, ait S. Bernardus in festo om. SS. Dicunt enim singula anima, quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire: *In pace in idipsum dormiam & requiescam. Et convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Hoc est suavissimum anima stratum, quod nullis jam riget aut lavet lacrymis, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus.* O status felix & immobilis! quando ego variabilis & omni momento mutabilis homuncio admit- tar in te! ô Deus immutabilis! tu, qui Dominus es & non mutaris, & immotus das cuncta moveri; move me, muta me de malo in bonum, de bono in optimum, nec unquam sine me, de bono mutari in malum. O Deus immobilis! apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, non est prius, & posterius, non est initium & finis, non est accessio, & successio; da ut omnia

G S

bona

152 *Domus aternitatis. Consideratio*
bona mutabilia, tibi bono immutabili
postponam. Aufer à me, quæ possum
malè mutare me, confirma me, stabili
me, & fige cor meum inte, ut semper
tibi unitus maneam in æterna requie.

CONSIDERATIO XV.

Ordo beatæ aternitatis.

*Beati servi tui, qui stant coram te semper
& audiunt sapientiam tuam. 3. Reg.
c. 10. 8.*

13. *Maji.*

I. **P**erpende, quemadmodum apud
feros, nullus est ordo; sed merus
horror, mera confusio, omnique ordi-
nis perturbatio perpetua, quæ mirum
in modum eos cruciat: ita apud Super-
ros, ordo est perfectissimus, mille-
accuratior illo, qui in aula regia Salo-
monis tanto Reginam Sapientiam stuporem
complebat. *Videns, inquit sacer textus
omnem sapientiam Salomonis, & domum
& cibos mensæ, & habitacula servorum
& ordinem ministrantium, vestesque
rum; non habebat ultra spiritum. 3. Reg.
c. 10.*

c. 10. 8. Si talia, tamque admiranda reperiuntur apud regem terrenum, in hoc exilio: qualia & quanta erunt, apud summum Monarcham cælorum, in æternæ beatitudinis regno?

II. Licebit hujus veritatis, conjecturam nonnullam formare, ex Mundi & rerum sublunarium Symmetria ac dispositione pulcherrima: Si enim Deus cæli, terræque conditor, accuratum adeo servat ordinem in hoc mundo; qui tam hominum, quam brutarum animantium, tam inimicorum suorum, quam amicorum est habitaculum; quemque ipse velut Paterfamilias Domum, gubernat, disponit, ordinat ac moderatur: qualem, quamque exactum servabit ordinem in cælo, amicorum suorum gloriosa Domo? Attende in hoc mundo ordinem & cursum solis, lunæ, planetarum, aliorumque siderum: aspice ordinem & successionem annorum, mensium, dierum, noctium: *Dies diei eruat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Intuere quatuor anni tempora, Ver hyemem excludit; veri finem æstas tribuit;

154 *Domus eternitatis. Consideratio*
tribuit; æstati autumnus, autumnum de
nique hyems eliminat. Considera ho
minum ætatem Infantiam claudit puer
tia, pueritiam juvenus, juventutem
rilis ætas, hanc senectus excipit. Con
sidera ordinem elementorum, vento
rum, pluviarum, tempestatum: ordinem
Regum & regnorum, Principum
Principatum, aliarumque rerum inno
merarum; & cum stupore dices; *Ven*
attingit à fine usque ad finem fortiter
disponit omnia suaviter, divina Sapien
tia, Sap. c. 8. 1. Et quid putas erit in ma
na illa ac pulchra cœli Domo; cujus
mundus non nisi umbra est?

III. Licebit quoque argumentari
ascendere à minori ad majus; si enim
nullum regnum mundi, nulla respubl
ca, nullus exercitus, nulla civitas, null
domus, absque ordine ac subordinati
ne diu potest subsistere: quanto min
subsistere poterit; vastissimum illud reg
num, numerosissimus exercitus, capi
cissima civitas & Domus cœlestis, millib
majore incolarum numero constans
quàm mundus sublunaris universus. S

nè S. Dionysius Areopagita L. de cælesti Hierarch. & D. Thomas 1. p. q. 50. a. 3. docet quod numerus Angelorum, numerum omnium aliarum rerum inferiorum superet, non secus ac cælum, omnia corpora inferiora vincit. *Nunquid est numerus militum ejus?* Job. c. 25. 3. Id est Angelorum, teste S. Gregorio. Numeram jam si potes species & individua, animalium, quadrupedum, volucrum, piscium, reptilium ac vermium, arborum, herbarum, florum, metallorum, lapidum; & videbis numerum Angelorum esse innumerabilem. *Erat numerus eorum millia millium.* Apoc. c. 5. 11. Et tamen Sapiencia divina inter hos omnes, aliosque homines beatos, ordinem exquisitissimum & aspectu jucundissimum constituit.

Aspirationes.

O Cæli terræque Monarcha! attingens à fine usque ad finem, fortiter, & in cælo ac terra disponens omnia suaviter: Verè beati servitui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam;

156 *Domus aternitatis. Consideratio*
tuam; videntque ordines ministrantium
chorosque te laudantium Angelorum
ac Sanctorum! Credo, spero, amo, & de-
sidero possidere regnum tuum ordina-
tissimum, ab omni confusione liberum
in eo loco, & ordine, quem iustitia ac bo-
nitatis tua mihi praefixerit. Deploro ca-
ecitatem meam, insaniamque multorum
hanc mundi Babyloniam, tanto pere-
pereuntium, tamque aegre deserentium
ac si Hierosolyma caelestis, nulla fore.
Fac me, Domine, & illos; deinceps me-
gis aspirare, & convolare ad Sanctorum
felicitem, ad Angelorum Societatem,
solennitatem superna letitia: ut possim
intrare in potentias Domini, & videre
perabundantes divitias illas bonitatis eius.
Et confidere inter ordines elegantissi-
mos, innumerabilium fervorum ejus.
Bern. med. c. 4.

14. *Maji.*

I. *S*ed perpendamus in primis ordi-
nem admirabilem, qui reperitur
inter spiritus angelicos: quos inter ter-
nae resplendent Hierarchiae distinctae
& chor

& chori noveni, ut naturâ & specie, ita & officiis ac dignitatibus discreti. Intuere in medio aulæ cælestis sanctissimam Trinitatem, in solio majestatis & gloriæ suæ residentem, ac veluti solem divinum, divinitatis suæ radios ad omnes Angelorum choros diffundentem, eosque exhilarantem ac beantem. Deinde circumspice omnes angelicos spiritus, veluti in amplissimo amphitheatro, pulchro ordine, altiùs & altiùs consistentes; & velut specula, radiis divinitatis illustrata, radiantem. O quàm amœnum erit spectaculum, tantum spirituum cælestium intueri exercitum: qui numero superat, stellas celi, arenas terra, guttas maris, folia & herbas & cuncta creata. S. Bernardinus Tom. 4. ser. 49.

II. Lustra igitur mentis oculis infimo loco consistentem, ordinem Sanctorum Angelorum, hominum custodiæ invigilantium; mandata Dei ad eos deferentium, eorumque preces & opera bona Altissimo offerentium. Aspice secundo loco chorum & ordinem Archangelo-

158 *Domus eternitatis. Consideratio*
rum, vaticinia Prophetis annuntian-
tium, illustrationesque à Superioribus
Geniis acceptas, inferioribus indica-
tium. Tertio loco Ordinem *Potestatum*
Dæmones compescentium, Martyres
animantium, Angelosque inferiores, po-
testati divinæ conformantium. Quarto
loco ordinem *Virtutum*, Ecclesiæ Prae-
sules docentium, miracula patrantium
virtutemque signa faciendi, viris sanctis
conferentium. Quinto loco Ordinem
Principatum, regnis & Principatibus
praesidentium, subditosque ad obedien-
tiam ac justitiam dirigentium.

III. Intuere ulterius sexto loco ch-
rum seu ordinem *Dominationum*, Ang-
lis inferioribus dominantium: ad Deum
semper se convertentium, aliosque ad
illum convertere, illique conformare
tagentium. Septimo loco ordinem *The-
norum*, majestatem divinam excipien-
tium, eidem immobiliter inhaerentium
& eandem virtutem aliis impertientium.
Octavo loco ordinem *Cherubinorum*
caelesti sapientiâ ac scientia fulgentium
aliosque illuminantium. Nono denique

loco ordinem *Seraphinorum*, amore Dei & zelo igneo ardentium, aliosque eodem accendentium. S. Gregorius hom. 34. in Evang. D. Thomas. p. 1. q. 112. a. 4. ad. 2.

Colloquium.

Quo stupore compleberis, anima mea, ubi coram, hos cœlestium spirituum choros & ordines admirabiles conspexeris? An non cum Regina Saba ingenuè fateberis Deo tuo: *Verus est sermo, quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis & sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit: maior est sapientia tua & opera tua, quàm rumor, quem audiui.* L. 3. Reg. c. 10. 8. Si felicem æstimas S. Franciscam Romanam, aliosque Sanctos, propter singularem cum Angelis beatis familiaritatem: quàm felix eris tu, anima mea, in cælo, quando summa cum voluptate videbis, aderis, convives, ternis illis hierarchiis, & novenis Angelorum choris,

natu-

160 *Domus aeternitatis. Consideratio*
naturâ, pulchritudine, gloriâ, splendore
ac dignitate differentibus, atque ordinibus
elegantissimo dispositis? O quanto gaudio
cernes puritatem Angelorum, Seraphi-
changelorum scientiam, Potestatum firmitudinem,
Virtutum Sapientiam, Principatum
gubernationem, Dominatum
num jurisdictionem, Thronorum uniuersitatem,
Cherubினorum lumen, ardorem
Seraphinorum; & omnium denique ordinem
ac dispositionem admirabilem.
O si tam felix esses, ut cum spiritibus
Seraphicis incessabili voce tibi cantare
ceret festiuum illud trisagion: *Sanctus,
Sanctus, Dominus Deus exercituum!*

15. *Majo.*

I. **A**B Angelorum choris, ad beatitudinem
hominum acies, oculos flecte, & eorum
ordinem exquisitum conserva. Est sanè
illorum iagens & numerabilis exercitus,
ex omnibus populis, tribubus & linguis
constatus: turba magna, sed absque
turbatione, omnes & singuli certo loco

gradu, ordine, ac throno cuique proprio, & meritis cuiusque consentaneo, collocati: *Exultant omnes in propriis mansionibus, dispar est gloria singulorum, sed communis latitia omnium.* S. Aug. med. c. 35. Et quò quisque in hac vita, maiore perfectione ac sanctimoniâ emittit, eò, in futura vita, ordine ac dignitate eminentiore honoratur atque exaltatur.

II. Quanta voluptas erit videre ordinem Patriarcharum, qui filios ac posteros suos, timorem Domini, religionem, virtutemque præcellentem docuerunt, ac proinde peculiari præcellentiâ refulgent? Quantum gaudium erit videre ordinem Prophetarum, qui ferventibus concionibus, populum à sceleribus & idololatria retraxerunt, atque ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos permoverunt, ideòque peculiari gloriâ donati sunt? Quanta cordis exultatione cernentur, ex tribu Simeon duodecim millia signati; ex tribu Ruben duodecim millia signati &c. omnes in suis sedibus, pro cuiusq; meritis, ordine collocati?

III. Quan-

III. Quanta voluptas erit, intueri
 natum gloriosum Apostolorum, S. Pe-
 trum ob conversos Romanos: S. Paulum
 ob conversos Corinthios & Ephesios
 S. Joannem ob Asianos: S. Jacobum
 Hispanos, S. Thomam ob Indos
 Christi fidem traductos, in thronis
 meritis ordine confidentes? Quanta
 lectatio erit, cernere Martyres peculi-
 aureolâ coronatos? Pontifices, Ep-
 copos, Doctores, Ecclesiasticos, Re-
 giosos, Confessores, meritis plenos, Di-
 etorali aureolâ insignitos: item Vir-
 nes, Viduas, conjugatos, pulcherri-
 omnes ordine dispositos; ita ut si ali-
 alium, vel unâ oratione, elemosy-
 jejunio, aut opere bono, adeoque
 gratiæ gradu in hac vita superaverit,
 altera quoque, loco, gradu, throno,
 gloriâ sublimiore coronetur.

Affectus gaudii.

O Felix jucunditas, & jucunda
 citas, sanctos videre, cum Sancto
 esse, & esse sanctum; Deum videre
 Deum habere in aeternum & ultra. S. An-
 Ma

Man. c. 16. O quale gaudium erit, coram intueri tam innumerabilem exercitum Sanctorum, stupendo, ordine dispositorum, in suis se gradibus, sedibus, & officiis continentium! *Quae erit iustorum gloria, quam grandis Sanctorum letitia, cum ordinibus distinctis, populum suum Dominus, in regno Patris sui ceperit recensere, & meritis atque operibus singulorum, promissa premia restituat, pro terrenis caelestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna? Revera cumulus felicitatis erit, cum adducet Dominus sanctos suos in visionem paterna gloria & faciet [suo quemque ordine] in caelestibus considerare S. Aug. Man. c. 15.*

CONSIDERATIO XVI.

Abundantia beatæ æternitatis.

Mensuram bonam, & cogitatam & super-effluentem dabunt in sinus vestros.

Lucæ c. 6. 38.

16. Maji.

I. **I**N hac vita, Reges, Principes ac Dynastæ, militibus, Ministris ac famulis

164 *Domus aternitatis. Consideratio*
mulis suis stipendia & salaria ordinat
parcè & in mensura stricta persolvit
Cœli autem Monarcha, præmia, stipen
dia & mercedem bonorum operum,
tribuit in summa abundantia. *Hic*
exigit 1. Magnitudo ejus infinita: *Magnitudo*
nitudinis ejus non est finis Eccli c. 43.
Magnos autem magna decet munera
2. Exigit hoc infinitas ejus amoris,
ex amore infinito: *Si parva sunt ista*
etiam tibi multò majora, aiebat David
2. Reg. c. 12. 8. Hoc exigit 3. Infinitas
ejus liberalitas; *dat omnibus affluentiam*
Ep. S. Jacobi c. 1. 5. Cujus affluentia
abundantia variis Symbolis & similibus
declaratur: Similitudo prima est, quod
Dominus promittit Lucæ. c. 6. 38. *Da*
cet Mensuram bonam, confertam, coactam
tam & supereffluentem. Mensuram
nam dabit in sinus vestros, confertam
interiore homine, coactam in exteriori
re; supereffluentem in Deo ipso: ibi con
lus felicitatis est, ibi supereminens gloria
ibi supereffluens beatitudo. S. Aug. de
& Spir.

H. Colligitur mensuræ hujus abundantia

dantia ex eo: quod Divina liberalitas, tam copiosè suppeditet omnia corpori nostro mortali necessaria. De quo S. Augustinus in solil. Si mi Domine, pro hoc corpore ignobili & corruptibili, tam magna & innumera beneficia præstas è cælo, ex aëre, à terra & mari, à luce & tenebris; à colore & umbra; rore & imbre, ventis & pluviis, volucris & piscibus, bestiis & arboribus, & multiplicitate herbarum & germinum terræ, cunctarum creaturarum tuarum ministerio, nobis successivè, per sua tempora ministrantium; ut alleves fastidium nostrum: *qualia, queso, & quàm magna & innumerabilia erunt bona illa, que præparasti diligentibus te, in illa celesti patria, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio?*

III. Deducitur deinde mensuræ cælestis redundantia ex eo, quòd omnia bona naturalia sint bonis & malis, Christianis & infidelibus, hæreticis & Tyrannis communia: ac proinde Liberalitas divina utique majora & meliora, pro futura

tura

166 *Domus aternitatis. Considera*
tura vita, reservavit fidelibus amici
electis Filiis. *Sunt haec omnia, ait S. A.*
l. c. Valde bona & delectabilia, que
nis, pariterque malis communia tradidit
qualia futura sunt illa, que solis
condidisti? Si tam innumera & varia
na tua, que nunc amicis pariter tribuit
inimicis: quam magna & innumera
quam dulcia & delectabilia, que solus
es largiturus amicis? Si tanta solatio
hac die lacrymarum, quanta confertur
die nuptiarum? Si tanta delectabilia
tinet carcer, quanta queso continet
tria?

Colloquium.

Vide & mirare, anima mea, De
erga servos suos liberalitatem
mulque tuam parcitatem: *Date &*
tur vobis. Lucae c. 6. Quam mensuram
fuertis, remetietur vobis. l. c. De
finite liberalis non sinit se vinci a
minibus; sed eos vult vincere liber
te. Das enim pauperi nummum,
cipis Deum. Juxta illud: Da nummum
& accipe regnum; da raicam & acci

massam; da pretium & accipe præmium;
da donum & accipe Deum. *Attende*
quid faciat foenerator, minus vult dare
certè, & plus accipere: hoc fac & tu. Da
modica & accipe magna; da temporalia,
& accipe aterna: da terram, & accipe cœ-
lum. S. Aug. in Psal. 36. Sis ergo usu-
rarius, sis foenerator Dei, hæc usura pia,
hoc fœnus sanctum est.

17. Maji.

I. **S**imilitudo altera, bonorum cœle-
stium abundantiam nobis repræ-
sentans est *inebriatio*, quam Spiritus San-
ctus, per os Davidis, nobis proponit:
Inebriabuntur ab ubertate Domus Dei.
Psal. 35. 9. Nam 1. in illa Domo Dei
beata, in Ecclesia triumphante, *inebria-*
tur intellectus visione & contemplatio-
ne Dei, longè amplius, quam Moyses
in monte Sinai, Petrus in Thabor, Mag-
dalena ad pedes Jesu, Joannes in ejus
pectore. 2. *Inebriatur voluntas*, conti-
nuo, ardentissimo ac suavissimo boni
infiniti amore. 3. *Inebriatur memoria*,
rerum jucundissimarum recordatione.

Pars II.

H

4. In-

4. Inebriatur tota anima, à divina gratia, quæ vestis, cibus, potus ejus est, sine qua famulica, sitibunda & nuda est. Inebriatur denique corpus ipsum, quod pariter ab ubertate voluptatum spiritualium & corporalium omnino repletur.

II. Ex hac ebrietate sancta Beatorum oritur prima Proprietas, quæ est oblivio terrenorum omnium. *Inebriabuntur ubertate Domus tua; quoniam apud te fons vite. Talis ebrietas, non evertit mentem; sed tamen rapit sursum & oblivionem præstat omnium terrenorum.* S. Augustinus To. 3. L. de agone Christi. Quemadmodum ebrius cuncta obliviscitur & nihil ducit, atque à se abjicit, spargit, cunias, possessiones dat obviis, nullius curâ tangitur. 2. Obliviscitur bene peccatorum in vita commissorum, ut non angant aut crucient. 3. Obliviscitur parentes, Filios, uxores, maritus, amicos, vicinos, Deo uni inhærens, omnium curâ & anxietate liber. 4. Obliviscitur seipsum, & absorbetur ac transformatur quodammodo in Deum. C.

accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & fit divina; inebriatur ab ubertate Dei. S. Aug. in Psal. 35.

III. Ex inebriatione, ab ubertate Domûs Dei, sequitur Secunda Proprietas quæ est lætitia sine amaritudine. Lætitiam hanc inebriationem appellat, quemadmodum & divitias ubertatem; vinum enim, ut alibi inquit Propheta, latificat cor hominis. ait Euthymius. Hæc lætitia est vehemens, instar torrentis: est lætitia æterna: Lætitia sempiterna super capita eorum, Isaia c. 51. 11. Est lætitia universalis, in tota anima & in omnibus ejus potentiis: in toto corpore & omnibus ejus sensibus ac membris. In illa futura vita, ait S. Anselmus, delectatio quadam ineffabilis bonos inebriabit; & inestimabili dulcedine suâ, totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Ep. 2. ad Hugon. c. 56. & c. 71. Gaudium erit eis intus & extrâ, sursum & deorsum, & gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum.

Affectus lætitiæ.

O Domine : *Lætabor & exultabo*
re, psalbam nomini tuo Altissimi
 Psal. 9. *Quia replebimur in bonis*
mus tua psal. 64. 5. Replebimur
celesti & inebriabimur ab ubertate
solationum tuarum : oblitique terra-
rum omnium, replebimur lætitiâ.
 quando? In æternitate. Sed ubi?
 Domo tua. Et unde? à bonis tuis, à
 diis tuis, à te ipso. Ibi erit jucunditas
 & lætitiæ infinita sine cessatione, lætitiæ
 dulcis sine amaritudine, lætitiæ
 mens sine fatigatione; lætitiæ continua
 sine interruptione, lætitiæ universalis
 sine imminutione, lætitiæ certa & secura
 sine periculo amissionis. *O Domine*
tene & rege spiritum meum, & assum-
lum, secundum voluntatem tuam,
duce ascendat ad illam regionem ubi
tis, ubi pascis Israel in æternum
veritatis, S. Aug. Med. c. 37. Et in
torrente voluptatis, & repleas Domum
tua bonis.

18. Maji.

I. **S**imilitudo tertia, gaudiorum cœlestium supereffluentiam nobis adumbrans, est *Torrentis voluptatis*. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psal. 35. Ex potatione hujus torrentis, oritur illa ebrietas sancta, de qua diximus. Ex hoc enim, non modicum aliquem haustum sumunt; sed totum exhauriunt; non enim Deus dat Beatis de torrente; sed totum torrentem; *Torrente potabis eos.* Vide hęc 1. Quanta sit Domini Dei nostri, erga Sanctos liberalitas & amor; dum totum dat, nihil sibi reservat. 2. Quantum ejus desiderium, statim explendi sitim Sanctorum. 3. Quanta Sanctorum capacitas, qui totum torrentem contineant. 4. Quanta ipsorum aviditas, quibus pars non sufficiat. 5. Quanta satietas; scilicet plena atque perfecta: quod enim vas, Deo non impleatur?

II. *Torrentis*, ut ait S. Augustinus in hunc psalmum: *dicitur aqua veniens cum impetu.* Ejusmodi torrentis scaturit in

H 3

cælo

172. *Domus eternitatis. Consideratio*
caelo & omnes replet lætitiâ : *Flumen*
impetus lætificat civitatem Dei. Plal. 4
5. Sed quis est iste torrens ? 1. Torrens
voluptatis, est Deus Pater, Pater lum
num, fons gaudiorum, sanctos om
in cœlo potans & ebrians, 2. Torrens
voluptatis est Unigenitus Dei Filius
Fons sapientie verbum Dei in eccle
Eccli c. 1. 5. Omnes cœlites, aqua
sapientiæ potans, recreans & inebrians
3. Torrens voluptatis est Spiritus Sa
ctus, teste Prophetâ : *Spiritus ejus, sicut*
torrens inundans. Isaia c. 30. 29. v. cœ
les beatos oblectans, & philtro factus
potans & inebrians.

III. Torrens itaque voluptatis est
ita Sanctissima Trinitas, quâ sancti
Paradiso potantur & inebriantur. Cœ
potatio est ejusdem visio, fruitio, dul
ctio & possessio perfecta, in qua, Be
summa voluptate ac dulcedine perfrui
veluti pisces divini, in immenso, dul
simoque flumine immerguntur : ab om
nibus malis liberantur, omnibus bonis
cumulantur. Tunc enim, ut ait S. Fa
gentius Episc. Ruspensis *Nec cogitantur*

nibus fatigabitur spiritus; nec laboribus macerabitur corpus; nulla erit sollicitudo certaminis; sed perfecta erit securitas pacis: nulla erit nobis iustitiæ indigentia, sed cum delectatione saturitas plena. Tunc satiabimur cum delectatione & delectabimur cum satietate. Adde, potabimur cum ebrietate, & inebriabimur potatione, de voluptatis divinæ torrente.

Affectus desiderii.

O Pater cœlestis! ô Fili! ô Spiritus Sancte, torrens voluptatis infinitæ, quando potabor à te in cœlesti beatitudine? O torrens dulcedinis immensæ, amœnus ad videndum, delectabilis ad bibendum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum, quando inebriabor à te? Audio: *Dilata os tuum, & implebo illud*, Psal. 80. 11. Dilata cor, dilata pectus, quia torrens est immensus: dilata illud charitate, fode humili fide, aperi spe & desiderio vehemente. Quod ut obtineam, cum Augustino famulo tuo, suspiro medullitus: *O fons vitæ, [in hac vita] reple mentem meam torrente voluptatis*

174 *Domus æternitatis. Consideratio*
tatis tuæ ; inebria mentem meam sobri-
ebrietate amoris tui ; ut obliviscar
vana sunt & terrena, & te solum habere
jugiter in memoria mea, sicut scriptum
memor fui Dei & dilectatus sum. Med
37. *Ut sic dispositus in tempore; me*
potari de torrente voluptatis tuæ in
æternitate.

CONSIDERATIO XVII.

Quatuor dotes beatæ æternitatis
Seminatur corpus in ignobilitate, resur-
git in gloria. I. Corinth. c. 15. 44.

19. *Maji.*

QUOT quot sunt in hac vita corp
ris miseriæ, eæ omnes abolerentur
in futura beata æternitate, quatuor do
bus gloriosis, corpora munientibus
ornantibus. Doctor Seraphicus sermo
de resur. illas in sole adumbratas con
derat, dicens: *In splendore solis, signifi-*
catur dos claritatis ; in perpetuitate Solis
dos impassibilitatis ; in virtute solis ad-
[sol enim vitrum integrum penetrat]
subtilitatis: in celeritate solis, dos agilitatis

His verò dotibus divina Bonitas meritò illustrare corpora Sanctorum voluit; cùm enim illa, unà cum anima laborârint, jugumque Domini portârint; meritò quoque ea, gloriæ & beatitudinis communione, gaudere voluit ac crevit.

Dos prima corporis gloriosi est *Claritas*: cujus imaginem etiam in hac mortalitate adumbravit Moyses, qui ex colloquio divino, de monte descendens, tantos è facie fulgoris radios emisit, ut Judæorum nemo in eum oculos defigere potuerit; sed velo faciem obnubere coactus sit, eum allocuturus. Exodi c. 34. Imaginem aliam præbuit ipse Redemptor noster, quando ducto secum in montem Thaboræum, Petro, Joanne & Jacobo, divinitus inclusum splendorem, subitò emisit, faciesque ejus instar solis lucidissimi resplenduit, unde perterrefacti Discipuli, humi se abjecerunt. Matth. c. 17. Similia S. Philippo Nerio, S. Ignatio, aliisque viris sanctis, radios sanctitatis quandoque è vultu emittentibus, accidere.

II. De hac autem Claritatis dote scribit Apostolus: *Resurget in gloria, splendore & claritate. Tunc ait, Salvator noster, iusti fulgebunt sicut sol, in regno Patris mei. Matth. c. 13. 43.* Et quidem non sicut sol hodie dum fulget; sed quomodo, post resurrectionem universalis fulgebit, quando teste Isaia c. 30. *Erit lux luna, sicut lux solis; & lux erit septupliciter, sicut lux septem dierum.* Considera nunc, si sol unicus, caelo suo constitutus, tantam quaque versus lucem diffundit, cunctos homines radiis & influentiis suis exhilarat, animalia & plantas recreat, vitam & carerem omnibus viventibus subministrat, totque alios effectus mirabiles in hac crymarum valle producit; quale graduum in caelo empyreo orietur ex illa luce admirabili, quae ex innumerabilibus animarum & corporum gloriosorum consortio emicabit?

III. Qualis laetitia cor nostrum amplebit, ubi tantum conspexerimus fulgorem? Qualis laetitia, ubi corporibus oculis patebit, in corporibus caelestibus

stibus diaphanis etiam interior harmonia? ut scribit S. Aug. L. 22. de Civ. c. 30. & S. Gregor. L. 18. moral. c. 3. Qualis lætitia, ubi conspexerimus fulgorem roseum è Martyrum beatorum corporibus, vulneratis, mutilatis, adustis, flagellatis, concisissis, contusis, laceratis pro Christo, erumpentem? Hæc corpora, velut elegantissima encausta, & rubini, pyropique rutilantes, mirum splendorem emittent. Qualis lætitia, ubi viderimus tot corpora, velut totidem soles radiare, radiosque suos, in illam civitatem Dei, ex auro crysalli instar pelucido, constructam, & gemmis inæstimabilibus ornatam, diffundere? Si vel unicus gloriæ divinæ radius, in monte thaboræo, Petrum ita affecit ac rapuit; ut nesciret quid diceret: quid sperandum erit gaudii, cum post superatam hanc mœroris vallem, ipsum Divinitatis jubar cælicolas omnes largissimè illustrabit? Si unica è paradiso, mellis guttula, in Petro, omnium mundi vanitatum sitim extinxit, quid faciet inexhaustum voluptatis cœlestis pelagus?

Paranesis.

O Mortales! Si hæc claritas, hic fulgor vos delectat: abjicite operam nebrarum, & induimini arma lucis, filii lucis sitis: spargite circumquaque apud quoscunque vobiscum agente virtutum & exemplorum laudabilium radios. *Sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Matth. c. 5. 16. Quod si præstiteritis dote claritatis aliquando fulgebitis, & Domini Speculantes, in eandem imaginem transformemini, à claritate in claritatem. 1. Corinth. c. 3. 18.

20. *Majj.*

I. **D**Os secunda corporis gloriose immortalis impassibilitas, & impassibilis immortalitas. Ut enim scribit Evangelistarum Aquila. Apoc. c. 4. *Mors ibi ultra non erit; sed vita perpetua, vita omnibus miseriis libera, omnibus casibus & mortis periculis exempta.*

ta. *Seminatur corpus animale, resurget spirituale*, ait Apostolus 1. Corinth. c. 15. Resurget spirituale, quod nec ignis consumet, nec aqua submerget; nec laqueus suffocabit: nec gladius perimet; nec hasta confodiet, nec glans plumbea transverberabit, sed ad omnia mortis spicula, semper inviolatum, invictum, inconcussumque persistabit.

II. O quàm nobile, quàm felix tunc erit nostrum corpus! *Resurget spirituale*: adeoque instar cujusdam spiritûs erit; & semper vigebit, nunquam deficiet, semper florebit, nunquam marcescet; semper maturum subsistet, nunquam senescet; sed in ætate perfectâ plenitudinis Christi æternùm perseverabit. *Absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum* & jam non erit amplius, neque luctus, neque clamor; sed nec ullus dolor Apoc. c. 7. 17. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* 1. Corinth. c. 15. 53.

III. Considera, quanta commoda secum vehat optatissima hæc incorrup-

180 *Domus aeternitatis. Consideratio*
tio & immortalitas : nam in cœlesti
tria, non erit aura pestilens, non aër cor-
rumpens, non regulus venena diffu-
dens, quæ corpus gloriosum inficiat.
Nulla ad hæc, erit illic infirmitas, nulla
debilitas, defectus nullus; nulla in pe-
dibus podagra, nulla in manibus Chir-
agra, nullum in pectore asthma, nulla
stomacho cachexia: sed sanitas semper
integra, pulchritudo semper florida,
temperies nulli corruptioni obnoxia,
in ferro inter flammam illæsa, inter tormenta
bellicorum globos secunda, inter
scorpiones, serpentesque salva; quia
pati amplius, nec mori poterit. O quam
gloria! qualis victoria! qualis læticia!

Colloquium.

O Corpus meum! desiderasne
immortalitatis & impassibilitatis
veste gloriosâ aliquando amictiri? In
Angeli perennare, omniumque morbo-
rum immunitate gaudere? Patere nu-
libens, amore Domini tui: sustine
mem, sitim, lassitudinem, morbos, ma-
lestias, quascunque tibi à Deo immo-

fas: Nunc morere tibi, morere mundo,
morere vitiis, & concupiscentiis tuis; &
post resurrectionem tuam evades im-
mortale: Si enim commortui sumus, &
convivemus. 2. Tim. c. 2. 12. mortique
cum gaudio ac tripudio insultabimus:
Ubi est mors victoria tua? Ubi est stimulus
tuus? 1. Corinth. c. 3. 55.

21. Maji.

I. **D**Os tertia corporis gloriosi, est sub-
tilitas. Innuvit hanc Gentium Do-
ctor, dum inquit: *Seminatur corpus a-
nimale, resurget spirituale.* l. c. Quem
locum explicans Hipponensis Antistes
ait: *Corpus Sanctorum resurget spiritua-
le, quia velocitate, perspicuitate, levitate,
spiritibus erit aequale, & omne solidum erit
ei penetrabile; sicut & corpus Domini, è
sepulchro, lapide clauso, surrexit & ja-
nuis clausis intravit.* L. 21. de Civ. c. 45.

II. S. Bernardinus Tom. 1. serm. 63.
Corporis gloriosi dotes enumerans, il-
lum Sapientiæ textum adducit: *Fulge-
bunt iusti & tanquam scintilla in arundi-
peto discurrent; In fulgore designatur
clari.*

182 *Domus aternitatis. Consideratio*
claritas; impassibilitas denotatur in igne
in subtilitate scintillæ *subtilitas* indicat
tur, & in discursu *agilitas*. Sanctos
vina Scriptura luci comparat, quam
tribuit *claritas*; unde & nanciscuntur
impassibilitatem, ut instar lucis nulla
inficiantur, & *agilitatem*, ut quàm cele-
rimè lucis instar, moveantur, & *subtili-*
litatem, ut cum omni alia re penetrent.
Et quemadmodum totus aër impedire
nullatenus valet; quò minùs lux solis
illuminet; & lux quoque dura & solida
corpora, veluti crystallum, adamantem
aliásque gemmas pretiosas penetrat;
quoque, imò multò magis corpora glori-
riosa Sanctorum, vi dotis subtilitatis
quævis alia corpora penetrabunt.

III. Cogita, quàm præclara hæc
sit: ô qualis erit voluptas, posse januas
clausis intrare; posse muros etiam
neos penetrare, cælos pertransire, atque
instar spirituum, ac radiorum solarium
fenestras vitreas per radiantium, per om-
nia sese ingerere! *Erunt enim sicut an-*
geli Dei. Faciliùsque carceres & ferrea
rupes & petras permeabunt, quàm

rem sagitta pervolet: nec difficilius à terræ superficie ad cœlum Lunæ, per corpus fluidum, quàm à superficie terræ ad centrum ejusdem, ubi corpus obstat crassum, pertingere valent.

Colloquium.

A Spirâsne, ô corpus meum! ad præclaram hanc gloriæ dotem? Aspiro inquis: si id serium tibi sit; nunc dum grave es, dum crassum & terreum es, dum opacum, plumbeum, & propensum es in malum, sine te abnegari, sine te in servitutem redigi, sine te castigari ac frenari ad gloriam Conditoris tui; & certo certius aliquando evades spirituale, subtile, perspicuum, translucens, leve & gloriosum; illucque ascendes, *Ubi omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, ab omni necessitate libera, in plena, certa, secura, sempiterna felicitate proficient in laudibus Dei.* S. Aug. L. 22. de Civ. c. 30. Ubi & cum gaudio maximo exclamabis: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Psal. 83.

22. *Maji.*

I. **D**Os quarta corporis gloriosi
Agilitas. Seminatur in infirmitate, resurget in virtute, ait Apostolus Corinth. c. 15. Dum homo moritur, sicut granum frumenti in terram cadit, computrescit; sed resurget in virtute, resurget agile, potens, nulli adversitatis noxium: & instar fulminis, quaquevis sum, celerrimè se movere valens: sicut secus atque animalia illa mystica, de quibus Ezechiel inquit c. 1. 14. Animæ ibant, & revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.

II. Quemadmodum Angeli, ita Beati, in actu oculi, dum cogitant, volunt, adsunt ubi volunt: *Ubi volentis, ibi protinus erit corpus. ait Augustinus L. 21. de Civ. c. 3. Nam mutant fortitudinem, assumunt pennas, sicut aquila & volabunt. Isaia. c. 40. 3. Iam labuat, iam sursum, iam deorsum; iam occidentem, iam ad orientem; iam ad thronum summi Numinis; iam ad lium Redemptoris; iam ad Cherubim*

& Seraphinos, jam ad Apostolos & Martyres, jam ad Confessores & Virgines, citius, quàm nos cogitationibus nostris Romam, aut Constantinopolim.

III. Neque tantùm Beatorum corpora vi dotis agilitatis, poterunt quàm celerrimè movere sese; sed etiam corpora alia, tametsi grandia: sicut enim Angeli possunt arbores eradicare, turres dejicere, exercitus difflare, montes transferre, tempestates excitare, ventos impellere, mundi machinam concutere, sidera extinguere, Tartarum illuminare, diem tollere, noctem invehere, solem sistere, Habacuc è Judæa in Babylonem, milliaribus quingentis distantem, arrepto capitis capillo, momento transferre. Dan. c. 14. aliæque mira ac stupenda patrare: ita quoque Beati similia præstare poterunt, qui Domino attestante *erunt sicut Angeli Dei*, Matth. c. 21.

Colloquium.

O Homuncio vane, vage, sciote & curiose! quàm te felicem æstimates, si pro libitu, in momento, absque labore,

186 *Domus æternitatis. Consideratio*
bore, posses esse præsens nunc Romæ
videre Pontificem; nunc Viennæ & alibi
qui Cæsarem; Nunc Parisiis & Madri
& agere cum Rege, lustrare aulas,
bibliothecas, hortos, fontes, palatia, ar
mentaria, ac multa rara pulchrâ que
tueri? Sed quantò felicior esses; si nunc
Choris Angelorum, nunc senatui Ap
stolorum, nunc exercitui Martyrum
nunc Confessorum, Virginum que co
bus, in cœlo adesse liceret? Scire a ves
id viâ, vel arte obtineas? Esto in
vita agilis & velox in Dei servitio;
promptus ad omnem Dei legem,
luntatem, ac nutum; & in altera
nebis agilitatis dotem; quâ omnia præ
dicta assequaris, & cum Propheta
obtentis, exclamabis cum gaudio: *Con*
vertisti planctum meum, in gaudium
mihi, conscidisti saccum meum, & circum
dedisti me letitiâ, ut cantet tibi gloria
& non compungar, Psal. 29. 12. 13.
plius ullâ tristitiâ.

CONSIDERATIO XVIII.

Visio beatifica beatæ æternitatis.

*Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum
verum & quem misisti, Jesum Christum.*

Joan. c. 17.

23. Maji.

I. **V**Ita æterna & beatitudo tam Angelorum, quàm Hominum beatorum, in hoc sita est; ut cognoscant, videant, & intelligant Deum; ex quo amor & gaudium sequitur. *Visuri sumus quandam visionem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; visionem quandam præcellentem, omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum; pulchritudinem maris & æris, pulchritudinem solis & luna, pulchritudinem stellarum, pulchritudinem Angelorum, & omnia superantem, quia ex ipso [Deo, quem videbimus] pulchra sunt omnia. S. Aug. Tract. 4. in Joan. Id autem fieri nequit absque lumine gloriæ, teste Propheeta regio: In lumine tuo videbimus lumen.*
Psal.

188 *Domus aternitatis. Consideratio*
Pfal. 53. Sicut enim oculus corpore
lumine solis disponitur, ad res pulchras
huius mundi videndas; Sic intellectus
beatorum, ad videndum Deum roboratur
lumine gloriæ, quod ex mente S. Tho-
naventuræ & D. Thomæ p. I. q. 12. a.
*Est qualitas creata & habitus ac virtus
supernaturalis, per se intellectui infusa, quæ
redditur proximè potens & habilis ad
videndum Deum.*

II. Quæ autem & quàm admiranda
visuri sumus, mediante lumine gloriæ
quænam lingua, quis calamus exprimeret
poterit? Non enim, ut ait S. Augustinus
orat. con. pag. c. 21. *Sufficit humana lin-
gua laudare, quod sensus mortalium
valet comprehendere. Ibi videbimus, quod
oculus non vidit: ibi audiemus, quod
hîc non audivit: ibi intelligemus; quod
humanum hîc comprehendere non
poterat: videntes autem, scientesque ex-
pugnabimus, inenarrabili gaudio. Videbimus
igitur & sublimiore modo videbimus
quàm in hac vita: nam qui hîc hominem
nem, quantumvis potentem ac sapien-
tem videt; externam solùm speciem*

det: qui verò Deum videt, ejus quoque perfectiones, & opes tum internas, tum externas videt. Unum omnium Beatorum opus erit, contemplari Deum, & mirabilia Dei. Omnes contemplabimur, omnes lætabimur, omnes delectabimur in Deo, cujus aspectus pius, facies decora, eloquium dulce: delectabilis ad videndum: suavis ad habendum, dulcis ad fruendum. Unde semper libet illum aspicere, semper habere, semper illo frui & in illo delectari: ipse per se placet & propter se; sufficit ad meritum, sufficit ad præmium: nec aliquid est, quod extra illum quæratur, quia totum in illo invenitur, quod desideratur & in illo totum amatur: unum namque bonum est, & omne bonum in illo est.

III. Quænam verò, ope luminis gloriæ, in Domino Deo nostro videbimus? O quis ea enarrabit? 1. Videbimus essentia ejus infinitatem, magnitudinis immensitatem, æternitatis longitudinem, judiciorum abyssum, Majestatis altitudinem, & immutabilem throni ejus firmitatem. 2. Videbimus ejus omnipoten-

poten-

190 *Domus aternitatis. Consideratio*
potentiam, omnia Creantem; Sapien-
tiam omnia excogitantem & gubernan-
tem; bonitatem omnia perficientem
que ad se trahentem: misericordiam pe-
ccata condonantem; justitiam non co-
donata castigantem. 3. Videbimus
vinas personas & æternas ac eminenti-
simas earum processiones; Quomodo
Filius à Patre gignatur, ut verbum, &
sapiencia Patris; & maneat in Patre: quomodo
modo Spiritus sanctus ab utroque pro-
cedat ut amor, & in utroque permaneat
quomodo hi tres distinguantur propo-
tate, ita ut sint tres hypostases, tres per-
sonæ, per se subsistentes & tamen sint
sint una numero essentia, una simplici
divinitas, una potentia, sapientia, boni-
tas, Majestas, immensitas, & æternitas.

Aspirationes.

O Deus meus! fons vitæ, fons
& sapientiæ, fons bonitatis & misericordie
ritatis, fons pulchritudinis & dulcedinis
fons gaudii & beatitudinis; quando
debo te facie ad faciem? Quando
ecstasi & stupore videbo essentiam tuam

perfectiones tuas, & processiones tuas admirabiles? Quando videbo Deum meum, quem sitit anima mea? Quando eum videbo, in terra viventium? In ista enim terra morientium, videri non potest, mortalibus oculis? S. Aug. Med. c. 37. O si hinc vitam instituerem dignam filio lucis? O si oculus intentionis meae semper esset purus & lucidus totus, non habens partem aliquam tenebrarum! Ut sic dignus redderer, qui in lumine tuo, viderem lumen aeternum, cum summo gaudio & amore!

24. Maji.

I. **U**lterius in lumine tuo, mi Deus, videbimus lumen & .i. Quidem altissima fidei nostrae orthodoxae mysteria; nimirum S. Trinitatis, de qua diximus, & Incarnationis, quomodo natura humana, supra omnem naturam creatam, sit elevata, & Verbo divino hypostaticè unita; ita ut Deus verè & propriè sit homo; & homo verè & propriè sit Deus. Videbimus quoque Mysterium SS. Eucharistiae, quomodo totum Christi

Pars II,

I

COR-

192 *Domus eternitatis. Consideratio*
corpus, cum toto sanguine, cum anima
unione hypostatica, & divinitate, cum
omnibus animæ & corporis gloriosissimis
tibus sit sub specie panis & vini, factis
consecratione, idque toties, quot sunt
istarum specierum particulæ minimæ.
Denique videbimus mysteria justificatio-
tionis & glorificationis; cognoscemus
que clarè omnia scripturarum arcanas
omnes prophetias, omnes figuras, omnes
symbolicas adumbrationes, omnes secreta
sua mysticos. *Fidei merces est, visio.*

II. Videbimus splendorem & puri-
tatem civitatis celestis curiæ, & civitatis
filiorum Dei; ad quam omnes habitatores
mundi Civitates ac palatia, lutum
& nullius pretii mapalia. Videbimus
omnes beatorum Angelorum & Holy-
num ordines, numerum, merita, dignitates
tem, gloriam & omnes exactissimè cognoscemus:
par enim est, ut conciveremus, ut
fratres nostros, optimè noverimus, ut
que bonitatem ac misericordiam in
gulis prædicemus.

III. Videbimus quoque horrendum
damnatorum carcerem, cunctaque

menta, istic impiis & peccatoribus à justitia divina præparata. Videbimus, tum Dæmonum, tum hominum damnatorum numerum, demerita, supplicia, & suppliciorum in singulis mensuram. O quantâ lætitiâ perfundemur, illustri hoc opere divinæ justitiæ assiduè nobis ob oculos versante, dum videbimus nos tantis malis, ope divinæ gratiæ ereptos! Quàm cordatas Deo, hoc nomine grates referemus? Quanto fervore; ejus justitiam æquissimam, admirabimur & laudibus extollemus in æternum?

Aspirationes.

O Misericordia mea & lux mea Deus! Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quando in lumine tuo videbo lumen tuum, lumen æternum, lumen immensum, lumen divinum & indeficiens? O quàm tunc amabo, quàm laudabo te, & dicam. *Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis ejus non est finis.* Plal. 144. Videbo tunc & intelligam fidei nostræ mysteria; & laudabo, & glorificabo te: *Quàm magnifi-*

194 *Domus aternitatis. Consideratio*
sata sunt opera tua, Domine, omnia in sa-
piencia fecisti. Psal. 103. Videbo Jeru-
salem novam, velut sponsam ornatam,
speciosos incolas ejus; & laudabo &
altabo te: Misericordia Domini ab a-
no, usque in aeternum, super timentes,
Psal. 102. Videbo carcerem divinae ju-
tiae tuae & inimicos tuos, & laudabo
cantabo misericordiam & judicium tuum.
Iustus es Domine & rectum judicium
tuum. Psal. 118. Sed cur illi damnati
& non ego! cur illi ardent in aeternum
non ego? Misericordia Domini, quod
non sumus consumpti: Propterea
sericordias Domini in aeternum cantabo.
Psal. 88. 2.

25. *Maji.*

I. PRæterea videbimus in illa beati-
tudine ordinem, cursum, ac disposi-
tiones divinae Providentiæ prorsus
mirandas, quibus ab initio Mundi usque
ad finem, utitur cum genere humano
cum singulis Imperatoribus, Regibus,
Pontificibus, Episcopis, Prælatibus, Clericis,
Religiosis, Laicis; videbimus or-

nia, cum omnibus ac singulis gesta, tanquam si oculis conspiceremus. Videbimus & stupebimus, quid Divina Providentia egerit cum singulis, quoties bonas inspirationes immiserit; quoties occasiones salutis obtulerit; quoties ad poenitentiam vocaverit; quoties mala impendentia averterit; quantâ patientiâ sustinuerit; quantâ charitate attraxerit; quantâ benignitate ab hostibus visibilibus & invisibilibus protexerit.

II. Videbimus etiam totum universum & omnes ejus partes, & partium singularum naturas, vires, magnitudines, mensuras, proportionem, intercapedines, actiones, passiones, motus. Ut docet, S. Augustinus. L. 4. de Gen. ad lit. & L. 5. c. 34. Ideo enim sunt condita, ac tam multiplici specie exornata; tamque concinno ordine disposita; ut ea cognoscamus & cognoscendo miremur, & laudemus opificem; qui nostri amore, hæc omnia creavit; ac prædicemus Deum, tanquam lucem omnia penetrantem, & formantem, & ambientem & conservantem. Denique videbimus & cognos-

196 *Domus eternitatis. Consideratio*
cemus multa futura; quæ ad familiam
nostram, vel ad amicos aut inimicos per-
tinent; item orationes vivorum, quæ ad
nos dirigentur, & honores ac contumelias,
quæ hâc irrogantur.

III. Hæc omnia videbimus & cognoscemus,
amabimus & laudabimus, cognoscemus sine errore;
videbimus sine fine, laudabimus sine fatigatione,
amabimus sine fastidio. Semper videbimus
Deum & semper videre desiderabimus;
tam desiderabilis est ad videndum. Semper
amabimus, & semper amare desiderabimus,
tam dulcis est ad amandum. Et quantò
amplius amabimus, tantò magis amare
optabimus, tam delectabilis est ad fruendum.
In hac delectatione quiescemus pleni Deo,
pleni omni benedictione & sanctificatione:
adhærentes autem semper beatitudini, erimus
contemplantes semper æternitatem, erimus
æterni: juncti vero lumini, erimus lux;
aspicientes semper incommutabilem
immutabiles evademus. Tantò libentius,
quantò dulcius illum aspiciemus, cujus
aspectus amabilis facit

facies delectabilis, sermocinatio dulcis.

Admiratio & gratulatio.

Hic admirare anima mea, & obstupescere tam admirandam visionem; quâ prædicta omnia, cum summa dilectione & exultatione conspicias: Dei essentiam, perfectiones, processiones, fidei mysteria, Scripturarum arcana, Beatorum gaudia, Reprobatorum supplicia, Providentiæ divinæ adyta, vitæ hominum curricula, & totius Universi contenta. O quàm hæc visio est sublimis! quàm incomprehensibilis! quàm excellens! O beata visio, videre Regem angelorum in decore suo; videre Sanctum Sanctorum, per quem omnes sunt sancti. Illum videre summa felicitas est, summa jucunditas, vita æterna & vita beata. Gaudete & exultate iusti, quia videtis, quem amastis, habetis quem desiderastis diu; tenetis quem nunquam amittere timetis. Propterea cantate & exultate ei, quoniam ipse est Dominus Deus vester gloriosus & speciosus. Ipse est salus & vita, honor

14

& glo-

198 *Domus eternitatis. Consideratio*
& gloria, pax & omnia bona. Hæc spe
ro, hæc opto, his fatiabor: quia *Satiabor*
cum apparuerit gloria tua. Plal. 16. 15.

CONSIDERATIO XIX

Amor beatificus, beatæ eternitatis

Dilectus meus mihi & ego illi. Ca

c. 2. 16.

26. *Maji.*

I. **C**onsidera, quemadmodum in
vita, ex aspectu creaturarum
creaturarum, mox nascitur amor: ita &
cœlesti patria, ex visione beatifica,
revelata Dei qui est objectum omnium
delectabilissimum, cognitione; mox pro
amorem & dilectionem Dei tenerrimam, pur
simam ardentissimam & continuam, summam
dulcissimam atque infinitam boni, ita ut Beatitudinem
in eo, tum videndo, tum amando, ne
momento avelli queant. Ipse enim
summa essentia, summa vita, summa
sapientia, summa salus, summa lux, sum
ma veritas, summa bonitas, summa a
gnitas, summa magnitudo, summa pu
ritudo, summa beatitudo, summa
innocentia

immortalitas, summa immutabilitas, summa unitas, summum bonum, in quo est omne bonum, imò quod est omne & unum, & totum & solum bonum. S. Aug. de spir. & anima. Et hæc est salus & vita æterna: *Hæc est plena beatitudo & tota glorificatio hominis, videre eum qui fecit eum; qui salvavit eum, qui glorificavit eum &c. Videbit enim cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo.* S. Aug. solil. c. 36.

II. Deinde sicut amor in hac vita est pondus, impetus & tractus in rem amatam: ita quoque amor beatificus, in patria, est quasi pondus inclinans, impetus impellens, tractus trahens ad objectum amatum: quò autem bonum quod proponitur, est majus; eò trahit ad se affectum potentiùs; præsertim si clarè cernatur. Deus autem est bonum infinitæ excellentiæ, continens omnia desiderabilia bona, & clarè à Beatis cernitur: igitur potentissimè trahit, ita ut vis creata illi nullatenus queat resistere; aut impetum continere: hic autem impetus est amor: sicut enim magnes imprimit

200 *Domus eternitatis. Consideratio*
impetum quendam ferro, quo illud ad
magnetem trahitur; & ei se arctè con-
jungit: ita Deus clarè conspectus, impetu-
tum quendam imprimit animæ; quo ip-
sa ad illum potentissimè trahitur: quod
quod impetus vel pondus in corporibus,
hoc amor est in spiritibus. *Ita Corpus
pondere, sicut anima amore fertur
quocunque fertur.* S. Aug. L. 11. de
Civ. c. 28.

III. Denique sicut lux corporalis pro-
ducit calorem corporalem, quo corpora
Incalescunt; ita lux spiritualis, scilicet
visio & cognitio boni, gignit calorem
spiritualem, nempe amorem, quo spiri-
tus effervescent: unde cum in cælo sunt
omnia divinæ lucis plenissima; etiam
divini caloris plenissima sunt. Et sicut
visio Dei est instar solis, ita amor Dei,
instar fervoris solaris, qui etiam longe
à se remota exurit. Quò autem, in he-
re vita est major Dei cognitio, eò & major
est ejusdem amor; quò minor cognitio
eò minor dilectio. *Quia parùm cognosco
parùm diligo.* S. Aug. solil. c. 1. Quò vero
major est cognitio & amor Dei in via

ed erit major cognitio & amor ejus in patria. Quantò igitur studio conandum est, ut hîc magis magisque Dominum Deum nostrum cognoscamus atque amemas?

Aspirationes.

Cognoscant te, Domine, cognitor meus, cognoscant te virtus anima mea, ostende te mihi consolator meus, videam te lumen oculorum meorum; ut diligam te, toto corde meo, in vita mortali; quò te cognoscam clariùs & amem ardentius in vita beata. Da mihi cor, quod te diligat; intellectum, qui te cognoscat; rationem, que tibi summo delectabili, fortiter adhareat. Amor meus, pondus meum, illò ferar, quocumque ferar. Magnes meus, Deus meus, attrahe me, tibi agglutina me, ut nunquam separer à te: Lux mea illustra me; calor meus accende me, Sol meus adure me, & flammis amoris tui ita me corripe; ut hîc amore tui perfecto succensus in terris, eum continuem perfectissimè & seraphicè in cœlis.

27. *Maji.*

I. **P**erpende quàm pauci in hoc mundo Principem, Dominum, heredes, civem, purè ament, ejusque bonum concupiscunt, ut non quoque proprium commodum spectent: hæc autem est avaritia sordida, quæstuarium, fucata, a proprio infecta. Verus amor vult alii bonum, ut ipsi bene sit: etiamsi amantibus nihil inde commodi percipiat. Sic verus Dei amici in hac, & beati in altera vita concupiscunt omne bonum externum & internum, quod est in Deo, tanquam ipsi bonum. Internum bonum consistit in ejus essentia, quæ omnem perfectionem eminentissimè complectitur. Externum consistit in ejus gloria externa, quæ ipsi à creatura venit ac tribuitur.

II. Considera igitur quænam bona Beati in patria, Deo velint, ament, optent, faveant, gaudeant, gratulentur. Primò bona interna, ut essentiam, potentiam, Sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, sanctitatem, dignitatem, Majestatem, Claritatem omnemque perfectionem.

fectionem & gloriam intrinsecam, quam ipse de se, apud se, supra omnem creaturæ captum, plenissimè, infinitè, in essentia sua possidet. Et hic amor quatenus ad hoc bonum se extendit, propriè beatificus est: quia solum hoc bonum, est increatum & immensum.

III. Beati, deinde Deo volunt, amant, optant, favent, & affectu quasi dant omnem gloriam externam. Volunt itaque Deo 1. Gloriam, ex unione hypostatica Verbi cum Humanitate, ortam. 2. Volunt gloriam ex statu, ex cognitione, amore, & laude omnium Beatorum provenientem. 3. Volunt gloriam, ex conversione peccatorum, operibus justorum, in tota Ecclesia militante resultantem. 4. Volunt gloriam ex justissimis impiorum suppliciis elucentem. 5. Volunt gloriam ex universo toto, & singularum partium ejus, specie, ordine, & structura emicantem. 6. Volunt gloriam, ex totius providentiæ ejus, quâ mundum regit, ordine, effulgentem. 7. Hanc gloriam Deo ardentissimè cupiunt, gratulantur, & eam augeri indies,

204 *Domus eternitatis. Consideratio*
quantum fieri potest, desiderant, & impet-
met, quantum divinæ providentiæ or-
do permittit, procurant. 8. Ex hoc ar-
tem amore, & desiderio gloriæ ejus, quæ
quitur perpetua eorum benedictio, quæ
ei omne bonum vovent & apprecantur
ut audivit S. Joannes Apoc. c. 7. 11.
Benedictio & claritas, & sapientia & scientia
gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo,
Deo nostro, in sæcula sæculorum
Amen.

Affectus amoris.

AMo te Deus meus, omne bonum
meum, amore benevolentia & am-
icitia ex toto corde; quo omne bonum
intrinsecum & extrinsecum, tibi volo
tibi cupio, opto & faveo, sicut beati-
ficiunt in cælo. Amo te ex toto corde
amore appretiationis & excellentia, quo
te omnibus creatis infinitè præfero. Amo
te ex toto corde, amore complacentia
quo in tuis perfectionibus infinitis, sum-
mè mihi complaceo. Amo te ex toto
corde, amore unionis, quo intimè tibi
uniri desidero. Amo te ex toto corde
amor

amore gaudii; quo in te, rebúsque tuis maximè lætor. Amo te ex toto corde Amore *confirmationis*; quo me in omnibus, sanctissimæ voluntati tuæ conformo. Amo te, & millies magis atque magis amare te desidero. O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris! ô Amor qui semper uris & nunquam tepescis! accende me, & accendar, ut totus diligam te! S. Aug. pro modulo meo perfectè in hac mortalitate; & sine modo, sine fine perfectissimè, cum Beatis omnibus, in æternitate!

28. Maji.

I. PErpensis causis, actibus & objectis amoris beatifici, perpende quoque ejus effectus; potissimum sunt duo: *ecstasis & unio*. Hi effectus elucent quoque in hac vita, in Sanctis dono contemplationis altæ præditis; sed perfectissimè possidentur in cælis. Et quidem
 1. *Ecstasis*. Amor *ecstasin* facit, ait S. Dionysius. de div. nom. p. 4. c. 4. Quæ excellentissimo modo reperitur in Beatis: illi enim cogitatione & affectu, sic trahun-

206 *Domus aternitatis. Consideratio*
tur in Deum ; ut à seipsis planè exeant
nihil de rebus suis cogitantes , nihil sibi
appetentes , nisi quantum ad Deum per-
tinet , ejusque gloriæ servit. Omnibus
igitur cogitationibus , curis & motibus
proprii amoris , penitus extinctis , soli
Deo vivunt ; multò perfectiùs , quàm in
hac vita Apostolus , dicens : *Vivo autem*
jam non ego, vivit verò in me Christus. Ad
Gal. c. 2. 20.

II. Alter effectus amoris beatifici, est
unio amantis cum dilecto , & transfor-
matio in dilectum. S. Dionys. p. 2. c. 4. et
S. Hierotheo ait : omnem amorem sive
carnalem , sive spirituales esse *vim unio-*
entem ; quia amantem cum amato unitè
co-jungit, non affectu solum ; sed etiam
re ipsà, quantum fas est, & fieri potest ;
re ipsa uniri aut adesse nequeat , saltem
adest imaginatione: sic parentes & liberi,
Sponsi & amici, libenter sunt simul, &
mutuo fruuntur aspectu & colloquio ;
more eos utrimque ad hoc impellente
ita & uterque alterius negotia sua repu-
tat , quali uterque in alteram transierit,
unde amicus alter ego dicitur. Impellit
igi-

igitur amor 1. Ad unionem re ipsâ. 2. Ad unionem per imaginationem & cogitationem. 3. Ad unionem per obsequium & servitium. 4. Ad unionem per morum similitudinem & imitationem. 5. Ad unionem per bonorum communionem. 6. Ad unionem per sublimem contemplationem. 7. Ad unionem per liquefactionem & demersionem in abyssum divinitatis: ut ait Sponsa: *Anima mea liquefacta est, ut [dilectus meus] locutus est.* Cant. c. 5. 6. Et David: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Psal. 118. 81.

III. Omnes hi effectus reperiuntur in amore hujus vitæ, sed perfectissimè in amore beatifico cœlestis patris: qui inter Deum amatum, & Beatum amantem, summam efficit unionem: quæ enim major unio esse potest, quàm ea, quâ amans non exterius dumtaxat, amato jungitur; sed intimè etiam, inseparabiliterque in eo commoratur, in illum, non secus ac ferrum in ignem transformatur; illius imaginem vivam induens; ut unus quasi cum illo spiritus fiat. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.*
1. Co-

208 *Domus aeternitatis. Consideratio*
1. Corinth. c. 6. §. Beati enim, sic amo-
re divino accenduntur, ut sibi quasi de-
ficere & liquefcere videantur: atque in-
potenter trahuntur in abyffum divinita-
tis; ut in illam velut demergi & abfor-
beri videantur: ac feipfos in illa perdat-
adeò ut fuum effe creatum ibi non fen-
tiant; fed folam Dei effentiam: cumque
bonum illud infinitum, fe videant ama-
do exæquare non poffe, quodammodo
deficiunt, in abyffo divini oceani, fub-
merfi & abforpti. Atque hoc eft, *intra-
re abyffum divinitatis, & in illa abyffo
perdere.*

Affectus amoris & unionis.

A Mo te, Deus meus, amabiliffime
pulcherrime, dulciffime, & in hac
vita perfectè te amare cupio, ut in æter-
nitate perfectiffimo te amore comple-
ctar. Defidero te amare, amore ceftante
co, quo de meipfo planè exeam, ut in
dilectum meum trahar & tranfeam. Amo
te amore unionis re ipsâ, quia femper
per in te effe & vivere cupio. Amo te
amore unionis per imaginationem &
cogitationem

cogitationem : quia te semper in phantasia & memoria mea retinere desidero. Amo te amore unionis per obsequia; omnia enim opera mea, nullo dempto, gloriae tuae consecro. Amo te amore unionis per similitudinem; quia mores & vitam tuam, pro viribus imitari delector. Amo te amore unionis per bonorum communionem, quia omnia mea mecum tibi offero. Amo te denique amore unionis, per contemplationem, liquefactionem & demersionem; vel saltem, sic te, Deus meus, amare desidero, quia à me deficere, penitus colliquescere, atque in immenso Deitatis tuae pelago ita absorberi & immergi exopto, ut inde nunquam in aeternum emergam. Amen.

CONSIDERATIO XX.

Gaudium beatificum, beatæ aeternitatis.

Letitia sempiterna, super caput eorum, gaudium & exultationem obtinebunt.

Isaia c. 35. 10.

29. Maji.

I. **Q**uemadmodum ex Dei clara visione amor; ita ex amore proficit gaudium.

gudium, tanquam motuum animi complementum, ultimáque perfectio: & quædam vitalis suavitas, ex amore, ac præsentiam boni amati per modum passionis resultans. Sicut enim corpora impetu feruntur ad locum proprium, eoque obtento quiescunt, nec tendunt ulterius: ita in spiritibus & animabus cognitione præditis, est amor & desiderium proprii boni, quo bono obtento gaudent ac quietem vitalem in eo habent, nec ulterius tendunt. Hoc autem gaudium beatificum, est omnino sublime, supernaturale & admirabile; non minus atque ipsa visio & amor beatificus: prorsus enim paria sunt: tantum enim amant, quantum vident; ac tantum gaudent, quantum amant: tantumque hoc gaudium, ut omnia mundi gaudia infinitè superet & antecellat, *Letitia sempiterna super caput eorum; gaudium & exultationem obtinebunt.* *Ita* *et.* 35. 10.

II. Magnitudo hujus gaudii elevebitur clariùs, si eminentiam; multitudinem, & stabilitatem bonorum

de quibus Beati gaudentes perpenderimus. Primò enim & super omnia, gaudent de bonis Dei intrinsicis, quibus ipse infinitè cumulatur. Nimirum, vident ipsum esse spiritum infinitum, immensum, sempiternum, supra omnem creatam perfectionem, excellentiam, ac magnitudinem, à mente creata conceptibilem, infinitè elevatum: supra omnem creatam substantiam, supra omnem potentiam, supra omnem sapientiam, supra omnem intellectum, omnem lucem, omnem pulchritudinem, justitiam, bonitatem, Majestatem & gloriam: videntque cuncta hæc in illo eminentissimè contineri. Vident quoque ipsum esse omnium Conditorum, conservatorem, gubernatorem, protectorem, Dominum, Regem, Patrem, principium ad finem infinitæ, potentia, sapientia, bonitatis & amabilitatis.

III. Hæc omnia & alia numero & magnitudinae infinita, dum Beati in Deo, visione beatificâ intuentur ac considerant; incredibile gaudium concipiunt: sicut enim Deum incompa-

compa-

212 *Domus eternitatis. Consideratio*
comparabiliter ampliùs amant, quàm
seipſos; ita quoque incomparabiliter
magis & dulcius gaudent de ipsius boni-
tatis, quàm de sua ipsorum beatitudine.
Hoc tamen gaudium quod ex confide-
ratione propriæ beatitudinis suæ percipiunt,
majus est quàm omnia mundana
gaudia; quia bona illius statûs, sunt infinite
præstantiora, quàm bona hujus
vitæ. Ex quo collige: Quod si gaudium
Beatorum, de propria beatitudine
sine comparatione, & quasi infinitesime
cedit, cuncta vitæ hujus gaudia: quæ
magnum, quàm incomprehensibile est
gaudium, quod incomparabiliter majus
gaudio propriæ beatitudinis erit. Unde
meritò dicitur: *Intra in gaudium Domini.*
tui. Matth. c. 25. Intra velut in abyſſum
& pelagus immensum gaudiorum, in
quo perpetuò, quasi immergaris, velut
spongia implearis, circumderis, & quod
dammodo, obruaris.

Affectus gaudii.

O Deus sublimis, amabilis & sempiternus!
summo mihi in hoc exultatione

lio, solatio erit & gaudio, de bonis & perfectionibus tuis infinitis lætari; omnino sperans ac confidens, me lætitiā istam æternū continuaturū in cœlo. Gaudeo itaque de essentia tua perfectissima & simplicissima, omnia bona eminentissimè in se complectente. Gaudeo de omnipotentia tuæ latitudine immensa, ad omnia creata, & creabilia, plura & plura in infinitum sese extendente. Gaudeo de inscrutabili sapientia tuæ profunditate, omne scibile perfectissimè comprehendente. Gaudeo de incomprehensibili naturæ tuæ bonitate, omnia bona, in summo gradu, & cum excessu infinito, possidente. Gaudeo de æternitatis tuæ inconceptibili diuturnitate, omnia tempora & sæcula imaginabilia, sine fine transgrediente. Gaudeo quòd tu sis Creator omnium, conservator omnium, Dominus omnium, Vita omnium, centrum omnium, finis & consummatio omnium. De his & omnibus bonis ac perfectionibus tuis gaudeo, exulto, gratulor, toto me, toto te, toto universo; opròque animitus, omnes

214 *Domus aternitatis. Consideratio*
nes homines gaudere mecum, in hac vi-
ta perfecte, perfectissime in futura bea-
titudine.

30. *Maji.*

I. **C**onsideratis gaudiis Beatorum
bonis Dei intrinsicis; perpende-
mus quoque gaudia eorum, orta è bonis
ejusdem extrinsicis: quæ pariter ineffe-
bilia sunt, licet prioribus inferiora. Gaudere
debunt itaque Beati 1. De gloria Dei
quæ ex Humanitate Christi, ejus unio-
ne hypostatica, ejus incarnatione, præ-
dicatione, passione, morte, resurrectione
ac beatitudine in ipsum redundat.
Gaudebunt de gloria, quæ ex Sancto-
rum omnium laude, benedictione, gra-
tiarum actione, & felicitate perpetua
permanat. 3. Gaudebunt de gloria
quæ ei ex Beatorum statu, meritis, orna-
mentis, favoribus, ac præmiis provenit.
4. Gaudebunt de gloria, quæ ex cele-
stis Hierosolymæ splendore, decore, et
mœnitate ac pulchritudine illi accedit.
5. Gaudebunt de gloria, quæ ab Ecclē-
sia in terris militante, ejusque admira-

bili, gubernatione, gratia, cooperatione, sacrificiis, orationibus, ac laudibus diurnis atque nocturnis, ei obtingit.

II. Ulterius 6. Gaudebunt Beati de gloria, quæ ab iis, qui igne purgante expiantur, atque ab aspectu divino arcantur, donec novissimum solverint quadrantem; & ejus summæ puritati ac justitiæ fecerint satis, Deo obvenit. 7. Gaudebunt de gloria, quæ ex justitiæ Divinæ ostensione nascitur, quâ reprobos æternis plectit suppliciis. Atque hæc tam varia & multiplex lætitia, oblectatioque Beatorum, imò etiam quælibet seorsim, major est omnibus mundi gaudiis simul sumptis, & ex amore non proprio, sed puro Dei promanat. Sicut enim filius Regis, absque ullo proprii commodi intuitu, gaudet de potentia & honore Patris sui, ita quoque Beati de Dei Parentis optimi ac Regis sui gloria ex amore puro, summè lætantur, exultant ac jubulant.

III. Præter gaudia antedicta, variis quoque maximisque gaudiis perfundentur Beati, de bonis propriis, tam

Pars II.

K

mul-

216 *Domus aternitatis. Consideratio*
multiplicibus, atque excellentibus, 1.
Gaudebunt enim ob splendorem divini
visionis. 2. Ob dulcedinem divini
moris. 3. Ob familiaritatem divini
allocutionis. 4. Ob magnificentiam
cælestis operationis. 5. Ob magnitudi-
nem exultationis. 6. Ob solatium
vissimæ Societatis. 7. Ob gloriam
Claritatem corporis. Horum omnium
radix est, quod Dei o. m. visione, amore
& possessione fruuntur; ejusque gloriæ
splendoris ac beatitudinis communica-
tione, in æternum beentur. Si enim Me-
tales in hac vita, reperto ingenti the-
soro, tantâ nonnunquam affluunt lætitiâ
ut vix se capiant: quanto replebuntur
gaudio Beati, obtento bono infinito
omnem sollicitudinem excludente, om-
nesque divitias, honores, pulchritudi-
nes, ac dulcedines desiderabiles, affluen-
tissimè continente? Mirè autem hoc
gaudium auget æternitas: sicut enim
ternitas malum quodcumque efficit in-
nitè pejus; ita bonum reddit infinitè
melius atque amabilius. Duplici igitur
de causa hoc gaudium omnibus mun-

gaudiis erit infinite, majus : quia & bonum quod possident, est infinite majus, excellentiusque & duratio, quâ eo fruuntur est infinite longior omni vitæ hujus tempore.

Affectus gratulationis.

O Beati patriæ cælestis cives, domestici Dei, cohæredes Christi, qui Dei visione ac fruitione gaudetis & in æternum exultabitis: ego ex animo vobis gratulor, de gaudio quod ex gloria Christi, Sanctorum laudibus, meritis ac favoribus percipitis. Collator vobis de gaudio ineffabili, quod ex fulgore civitatis cælestis, & Ecclesiæ militantis laudibus & gubernatione hauritis. Exulto de gaudio vestro, quod ex justitiæ divinæ sanctitate, tam in animas purgantis ignis, quàm in reprobos, exercita, in vos dirivatur. Gaudeo, quod quidquid desideratis, habeatis, & quidquid in cælo videris, ametis, ipso amore beati, & gaudio interminabili repleti. Opto, cupio, spero atque confido, me vos aliquando, & vobiscum Deum visurum,

218 *Domus eternitatis. Consideratio*
amatum, & de Deo gavisurum in æ-
ternum. O quàm tunc felix ero! For-
tunatus ego, nimiumque beatus, si & eg-
meruero, assistere Regi meo, Deo meo,
Duci meo, & cernere eum in gloria
sicut ipse polliceri dignatus est, dicens: Pa-
ter volo, ut quos dedisti mihi, sint mecum.
& videant claritatem meam, quam dedit
tibi apud te ante mundi Constitutionem.
Aug. med. c. 25. Ac de ea beatè gaudeat
in æternum.

31. *Maji.*

I. **C**ONSIDEREMUS gaudia reliqua, quibus Beati de bonis propriis gaudent. Gaudebunt enim quàm maximè, 1. De animi sui donis ac virtutibus, cum gratia Dei acquisitis. 2. Gaudebunt de clara rerum tam variarum notitia, & summam de mira in omnibus latente pulchritudine ac dulcedine, in lectationem haurient. 3. Gaudebunt videntes, se ex tot corporis animarumque periculis & æternæ damnationis rebus ac pedicis feliciter ereptos. 4. Gaudebunt se ex innumeris vitæ hujus

seriis, translatos ad regnum cælorum, & paradifum voluptatis. 5. Gaudebunt singuli, de bonis sociorum cælestium, hominum & Angelorum, quos tanquam fratres & cohæredes, tenerri- mē diligent, ac proinde de eorum glo- ria, splendore, excellentia, sapientia ac virtutibus, gaudebunt tanquam de suis propriis. Unde quot sunt, cælites, to- ties multiplicatur, cujusque gaudium: Ex quibus infer: si tantum erit gaudium de singulis seorsum; quantum, quàm- que ineffabile gaudium erit, de om- nibus simul? O quæ lingua id expri- met?

II. Ex his omnibus jam recensitis, *memoria, intellectus & voluntas* Beato- rum mirificâ satietate oblectabitur. 1. *Memoria* ut ait S. Bonaventura T. 6. de 7. donis c. 11. *erit sine oblivione*, omnia enim eis vivacissimē occurrent: quia, inquit, *anima potentiam retentivam* (sive memoriam) *magnificabit divina po- testatis immensitas*. Sic igitur dilatata & ad maximam capacitatem evecta, om- nium præteritorum recordabitur, &

120 *Domus aternitatis. Consideratio*
omnem vitam suam in hoc mundo bene
peractam recolet, omnes ejus ambages
& periodos, omnia læta ac tristia, om-
nia prospera & aduersa; omnia discrimi-
mina, quæ in quouis statu, officio, loco
sustinuit, feliciterque euasit, cum gaudio
admirabili revolvat. Et quanta hæc
erit Beatis voluptas, quanta lætitia? dubi-
ce enim est meminisse laborum. Et quon-
tò majus fert periculum in prælio militum,
tantò majus est gaudium in triumpho. S.
Aug. L. 8. Conf. c. 3.

III. Deinde *intellectus* Beatorum, erit
repletus, satiatus & incredibili volup-
tate delibutus: ut enim scribit dictus
Bonaventura l. c. *Intellectus erit sine om-
ni errore*: quia potentiam animæ appre-
hensivam [sive intellectum] inebriabit
divine veritatis, incomprehensibilitatis.
Nihil eos latebit, ait S. Bernardus de trip-
gen. bon. Et ecce sapientia, quæ curiositas
hominis satiatur, quæ omnia quæ in cælis
& in terra sunt, perfectissime cognoscuntur.
Scilicet Cognoscemus præterita,
præsentia & futura, & quidquid scire vo-
luerimus. Teste S. Anselmo. L. de similitud.
c. 59

e. 59. Tertiò *voluntas* quoque Beatorum erit expleta, satiata & inexplicabili gaudio perfusa: ut enim docet antè memoratus Doctor Seraphicus l. c. *Voluntas erit sine omni perturbatione*: nam *potentiam animæ appetitivam* [seu voluntatem] *impinguabit divine bonitatis ineffabilitas*. Voluntas ergo cœlitum erit expleta; quia summo bono est expleta: erit satiata, quia nihil desiderabit ultrà: erit impinguata; quia adipe frumenti Electorum pasta: erit gaudio plena, quia manna cœlesti recreata, torrente voluptatis inebriata, & infinitæ dulcedinis ac lætitiæ oceano immersa. O felix immersio.

Colloquium.

O Anima mea! desiderasne efficaciter dicta ineffabilia cœli gaudia? Si ita: Sperne mundi gaudia, brevia, fluxa, inania; & ad gaudia æterna pervenies. In hac labili vita *memoriam* occupa jugiter sanctis cogitationibus; ut illa in patria repleatur lætitiâ, & *memoretur justitiæ ejus solius*, Psal. 70. 16. Deinde ab-

222 *Domus eternitatis. Consideratio*
nega, intellectum, inutilémque multa
sciendi curiositatem; lege, scribe, stude
ora, labora, uni æternitati, & cum fiducia
dices: Adimplebis me lætitiã cum voluptate
tuo usque in finem, id est, usque in æternum. Psal. 15. 11. *Divinãque obtinebo*
promissionem: Dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum. *Isaia*
45. 5. Denique voluntatem tuam conueni-
entè abnega, eamque semper cum Dei
voluntate conforma, & infinitã in caritate
voluptate replebitur: O exclamat Doctor
mellifluus, quale hoc erit Beatorum
gaudium! quando error à ratione, à voluntate
dolor, & à memoria timor omnis evanes-
cesserit, & successerit illi mira serenitas,
plena suavitas, æterna securitas? Primum
facit Deus veritas: secundum Charitas
Deus, tertium summa pietas Deus; ut sit
Deus omnia in omnibus; ratione recipiente
lucem inextinguibilem, voluntate percipiente
lucem imperturbabilem consequente, memoria
veritati indeficienti æternaliter adherente.

CON

CONSIDERATIO XXI.

Aureolæ beatæ æternitatis.

Facies coronam interrasilem & superib-
lam, alteram coronam aureolam.

Exodi c. 25. 25.

I. Junii.

I. PErpende Beatos omnes, in gloria
cœlesti Reges esse coronatos; si-
quidem sapiens de illis effatus est: *Iusti*
in perpetuum vivent, & apud Dominum
est merces eorum, & cogitatio illorum apud
Altissimum: ideo accipient regnum de-
coris & diadema speciei de manu Domini.
Sap. c. 5. 16. Verùm qualenam, est hoc
diadema? S. Augustinus, cum S. Thoma
& S. Bonaventura, in Diætâ salutis 10.
c. 2. aliisque Theologis, docet, dupli-
cem à Deo Beatis dari coronam, unam
scilicet *auream*, alteram *aureolam*.

II. *Aurea* dicitur præmium substan-
tiale ac primarium, consistens in visione
Dei Clarissima, in fruitione suavissima,
& in oblectatione securissima, de qua
dictum volunt: *Corona aurea super caput*

K 5

ejus.

224 *Domus aternitatis. Consideratio*
ejus. Eccli. c. 45. quæ est ornatus Pontifi-
ficum: omnes enim Sancti, non solum
erunt Reges omnipotentes suæ volun-
tatis; sed etiam Sacerdotes, & Pontifi-
ces, offerentes semper Deo sacrificium
laudis; atque ideo dicitur: Fecisti nos
Deo nostro regnum & sacerdotes. Apoc.
c. 5. 10. Corona altera nuncupatur
Aureola, id est coronula parva; quæ san-
ctis quibusdam, velut corona acciden-
talis & secundaria, propter opera qua-
dam excellentiora communicatur. De-
tur autem ob triplicem victoriam tribus
statibus, scilicet Martyrum, Virginum &
Doctorum.

III. *Aureola prima est generosorum*
Christi Martyrum: qui, quia mundum
ejusque Tyrannos, unà cum tormentis
 suis debellarunt fortiter: propter hanc
 illustrem adeò victoriam, cœlestis ago-
mothetes, illis impertit corollam trium-
 phalem, in præmium & victoriæ testi-
 monium: ut innuit S. Evangelista Jo-
 hannes Apoc. c. 7. 14. Hi sunt, qui ven-
 runt de tribulatione magna, & laverunt
 stolas suas in sanguine Agni & [ideo]
 palma

palma in manibus eorum. Ad hanc, aliásque corollas hortatur magnus Augustinus: dum ait: *Floribus Ecclesia caelestis, nec rosa nec lilia desunt. Certemus nunc Charissimi, singuli ad utrosque honores, amplissimas accipere dignitatum coronas, sive de virginitate candidas, sive de passione purpureas, vel de doctrina laureas.* Sermon. 37. de Sanctis.

Desiderium martyrii.

O Illustre heroum & pugilum Christi præmium! ô præclara aureola *Martyrum!* Utinam aliquando tot martyrum coronatorum millia jubilantia ac triumphantia, coràm intueri liceret! Utinam corollam similem promereri dignus essem! utinam hosce athletas imitari daretur, in laboribus plurimis, in persecutionibus, in ærumnis, in carceribus abundantius, in adversis quotidie instantibus, in plagis supra modum, in cruce, gladio, morte, pro Dei gloria, pro fide, pro animarum salute! Ut illis annumerari mererer, quibus Redemptor promittit: *Qui me confessus fuerit co-*

226 *Domus eternitatis. Consideratio
ram hominibus, confitebor & ego eum co-
ram Patre meo, qui in caelis est. Matth.
C. 10. 12.*

2. Junii.

I. **A**ltera aureola est *Virginum casti-
fimarum*: quæ, quia carnem,
cum concupiscentiis & illecebris omni-
bus generosè devicerunt; in victoria
præmium & signum, à cœlesti Brabe-
ta, eximiam obtinent corollam: quam
indicat S. Joannes Apoc. c. 14. 3. *Cant-
abant quasi canticum novum, & nemo po-
terat dicere canticum, nisi illa centum
quadragesima millia: Virgines enim sunt &
sequuntur agnum, quocunque jerit.*

II. Hanc *Virginum aureolam*, hanc
cantilenam, hanc sequelam, more suo
præclarè exponit D. Augustinus, dum
ait: Vos adferetis ad nuptias Agni *canti-
cum novum*, quod cantabitis in eitha-
ris vestris, hoc est in cordibus dicatis
laudibus, non utique tale, quale cantat
universa terra; sed tale, quale nemo po-
test dicere, nisi vos. Deinde subjungit:
Quò ire putamus hunc Agnum, quò nemo
eum

eum sequi valeat, vel audeat, nisi vos? Quò
 putamus eum ire, in quos saltus & prata?
 Ubi credo sunt grandia gaudia, non gaudia
 saculi hujus vana, insania mendaces; nec
 gaudia, qualia in ipso regno Dei, ceteris non
 Virginibus erunt; sed à ceterorum om-
 nium gaudiorum sorte distincta.

III. Denique addit S. Doctor: Vide-
 bit vos cetera multitudo fidelium, que ad
 hoc Agnum sequi non potest; videbit, nec
 inuidebit, & collatando vobis, quod in se
 non habet, habebit in vobis; Nam & illud
 canticum novum, proprium vestrum, dice-
 re non poterit, audire autem poterit; & de-
 lectari vestro tam eminenti bono: sed vos,
 qui & dicetis & audietis, quia & hoc quod
 dicitis, à vobis audietis, felicius exultabi-
 tis, jucundiusque regnabitis. O jucun-
 dum Canticum! ô honor insignis, &
 excellentia amabilis Virginum beata-
 rum!

Adhortatio.

O Religiosi, & Religiosæ! ô Deo
 dicatæ Virgines! ô castæ, puræque
 mentes! frænate sensus, domate carnis

228 *Domus eternitatis. Consideratio*
impetus, Virginitatis florem Sponsæ
Cœlesti consecratum, usque ad anhelitum
supremum, illibatum conservate sic
summa cum voluptate, cantabitis can-
ticum illud novum, & sequemini Ag-
num quocunque jert, inter virgineos
cœlitum Choros: Verùm hoc honore,
hoc gaudio minimè digni eritis, nisi in
vobis castitas Virginalis integra, & in-
violata refulserit: quæ est soror Angelor-
um, victoria libidinum, regina virtutum,
possessio omnium bonorum. S. Cyprian. l.
de Virg.

3. Junii.

I. TERTIA aureola est Doctorum, illo-
rum scilicet, qui alios doctrinâ
cœlesti imbuunt: hi enim in signum &
præmium victoriæ, quòd hæreses, igno-
rantiam, ac Diabolum vicerint; peculiar-
rem in cœlo gloriam obtinebunt; ut in-
dicat Daniel Propheta c. 12. 3. *Qui*
autem docti fuerint, fulgebunt quasi splen-
dor firmamenti; & qui ad justitiam erig-
diunt multos, quasi stellæ in perpetuas æter-
nitates. Tales Doctores sunt 1. Qui
Deum

Deum, Dei que legem ac justitiam, non speculativè tantùm; sed etiam practicè verbo & exemplo docent. Hæc enim est *scientia Sanctorum*. Sap. c. 10. 10. Hæc est *prudencia justorum*. Lucæ c. 1. 17.

2. Qui assiduè erudiunt multos ad justitiam, id est, qui doctrinâ & exhortatione, æquè ac exemplo peccatores convertunt; eos justitiâ imbuunt, aut ad majorem perfectionem ducunt; in persecutionibus ac tentationibus, in fide roborant & in justitia confirmant, sive publicè in scholis, sive è cathedra in templis, sive privatim in confessione, colloquio, mensa, Domo. 3. Qui docent sæculares scientias, miscendo tamen pia monita, documenta, exhortationes & sic quoque auditores ad justitiam erudiunt. Tales fuere S. Bonaventura, S. Thomas & alii. 4. Qui verbo & exemplo, præsertim constantiæ in virtute; justitiâ, sanctitate, & lege Dei, usque ad mortem ac Martyrium, alios docent ac corroborant.

II. *Aureola* his Doctoribus debita est singulare gaudium, honor & splendor;

fulge-

230 *Domus aternitatis. Consideratio*
fulgebunt quasi stella. l. c. Exempla accipio
1. Christus Doctor Doctorum de se ait
Ego sum stella splendida & matutina
Apoc. c. 22. 16. Dein Ecclesia, quæ
doctrina & columna ac firmamentum
Veritatis, apparuit S. Joanni, quasi mu-
lier, habens in capite *coronam stellarum*
duodecim. Apoc. c. 12. 1. scilicet 12. Apo-
stolorum, qui Ecclesie Doctores velut
stellæ totidem præfulserunt & fulge-
bunt in æternum. 3. Moyses Doctor
Veteris testamenti præfulsit, ut stella
dum facies ejus à Deo radios, & quæ
cornua lucis accepit. Exodi c. 34. 29.
4. Simon Oniæ filius, Doctor insignis
& Pontifex, refulsit: *quasi stella matutina*
in medio nebulae. Eccli. c. 50. 6.
Septem Episcopi & Doctores Asia: *Sep-*
tem stella, Angeli sunt septem Ecclesiarum
Asia. Apoc. c. 1. 20. Sic S. Dominicus
apparuit insignitus stellâ; & alii plures.
Sic fulgent & fulgebunt Doctores, qui
ad justitiam erudiunt multos.

III. Hoc gaudium Doctorum, hic
honor & splendor, non durabit ad bre-
ve tempus; sed perseverabit in perpetuum

aternitates. Ecce quàm modicus labor,
 quàm passio brevis, & quantum gloriæ
 pondus parit! Datur autem hæc corol-
 la gloriæ perpetuæ; quia Doctores, ut
 ait S. Hilarius, sunt *satores aternitatis*
 beatæ, unde meritò sunt etiam ejusdem
 messorum. Maxima enim cæcitas & ig-
 norantia hominum, ab Adamo contra-
 cta, est, quòd bona præsentia, vilia, flui-
 da, brevia, præferant veris, solidis, &
 æternis: tantùm enim intuentur pom-
 pam speciemque externam, non res ip-
 sas; instar puerorum, ex sapone & aqua
 bullas infantium, easque sectantium,
 quæ vento turgidæ, mox tenues vane-
 cunt in auras. Ac instar canis Æsopici,
 qui carnem ore tenens, vidensque ejus
 umbram majorem, carnem dimisit, ut
 umbram caperet. Ita homines, bullas &
 umbras rerum sectantur non res ipsas, ac
 proinde utrasque amittunt. Hunc erro-
 rem tollunt Doctores, atque ita meren-
 tur aureolam doctoralem æternitatis.
*Tota series scripturarum ut à terrenis ad
 celestia erigamur, adhortatur; ubi vera
 & sempiterna est beatitudo; ad quam nisi
 per*

232 . *Domus eternitatis. Consideratio
per fidem catholicae pacis, cooperante Cha-
ritate Dei & proximi, neminem pervenire certissimum est. S. Aug. serm. 39,
de Temp.*

Aspiratio & Paranesis.

O Quam gloriosum est regnum, in
quo cum Christo Doctore Docto-
rum, regnant omnes sancti, & fulgent
omnes Doctores, ut stellæ, & soles, in
perpetuas æternitates! O Sapiencia æter-
na! doce nos, & da, ut alios doceamus
justitiam, ac tandem duc nos ad sancta
Sanctorum; ut ibi fulgeamus quasi stel-
læ, in sæcula sæculorum! Quod ut ob-
tineamus; Agite verbi Divini Præcones,
Clamate, nec cessate; Evangelium præ-
dicare; ad observantiam mandatorum
Dei exstimulate. Agite & vos ô Pasto-
res, Parochi, & Curatores animarum,
gregemque vobis commissum, verbo &
exemplo, ac vitæ æternæ pabulo reficite.
Agite quoque Doctores, Professores,
Lectores, Magistri, & juventutem vobis
creditam, scientiâ & virtute imbuite.
Agite denique arbitri Conscientiæ, Mis-
sionibus

tionibus intenti, & Catechistæ, ac rudi plebeculæ, & pueritiæ, lac doctrinæ Christianæ instillate; atque ut strenuè hunc laborem vincatis, tædiaque superetis, sæpe coronam & corollam, auream & aureolam respicite: Eritis, enim magni in regno cælorum: & fulgebitis quasi stella in perpetuas æternitates. l.c.

CONSIDERATIO XXII.

Jerusalem civitas beatæ æternitatis.

Vidi Civitatem sanctam, Jerusalem novam, descendentem de cælo; à Deo, sicut sponsam ornatam viro suo.

Apoc. c. 21. 2.

4. Junii.

I. Hætenus ob oculos posuimus particularia gaudia cælestia; quibus Beati in cælo fruuntur: nunc ea ulterius declarabimus quibusdam parabolis, sive similitudinibus, è scriptura divina desumptis; imitando exemplū Redemptoris nostri pro meliore populi captu, parabolis frequentissimè utentis. *Sine parabolis non loquebatur eis.* Matth. c. 13. 34.
Para-

234 *Domus aternitatis. Consideratio*
Parabola igitur seu similitudo prima
desumitur ab Urbe Hierosolyma, qua
cœli empyrei imago est & umbra, terna
potissimum excellentiis à S. Joanne de
corata; scilicet *Sanctitate, novitate &*
pulchritudine. Et quidem primò eam
laudat à *Sanctitate*, dum ait: *Vidi civita-*
tem sanctam. l.c. Sive enim ipsam spe-
ctes Civitatem; sive ejus cives & incolae,
nihil nisi sanctimoniâ eximiâ conspi-
cum in ea reperies.

II. Si ipsam inspicias Civitatem, tota
munda, tota pura, tota Sancta est, in
quam nihil immundum, nihil non est
omni parte sanctum admittitur: cuius
sancta sanctorum templi Salomonis
umbra solùm extitère. S. Maria d' Oga-
nies, teste Cardinali Vitriaco, in ejus vita
cum vixisset vitam angelicam, à Deo ac-
cepit revelationem suæ salutis, & gloria
hisce verbis: *Ibis in sancta sanctorum.*
Cumque illa rem intelligeret, non verba
utpote latina; dicebat jubilans ancilla
suæ: *Ibimus in sancta sanctorum, dulcissi-*
ma Clementia [hoc erat ancillæ no-
men] & quid sunt sancta sanctorum?
Nec

Nec aliud dicere poterat ebria gaudio,
noctes & dies : nec comedere nec bibe-
re valens. O quis capiat, quis exponat
nobis : *Quid sunt coelestia sancta san-
ctorum.*

III. Omnes quoque hujus Civitatis
incolæ sunt sanctimoniâ illustres. San-
ctus est Deus, cui Seraphini sine fine ac-
cinunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* : ter san-
ctus, fons omnis sanctitatis & Sanctus
Sanctorum. Sanctus Redemptor no-
ster Jesus Christus, de quo Archangelus
Gabriel : *Et quod ex te nascetur Sanctum,*
vocabitur Filius Dei. Lucæ c. 1. 15. San-
ctus eminenter omnem nobis sanctimo-
niam promeritus, sine quo nullus est
sanctus. Sancta Christi Mater & Virgo
Maria, Sancta Sanctorum, Regina San-
ctorum omnium. Sanctus Joannes
Baptista Christi prodromus in utero
sanctificatus de quo Christus ipse *Inter
natos mulierum non surrexit major* ; uti-
que sanctimoniâ vitæ & virtutis. De quo
& S. Chrysostronus, Sermon. 8. de eo. *Jo-
annes virtutum schola, magisterium vite,
sanctitatis forma, norma justitie, virgini-
satis*

236 *Domus aternitatis. Consideratio
eatis speculum, castitatis exemplum. Sa
cti denique Patriarchæ, Prophetæ, Ap
stoli, Martyres, Confessores, Virgines
Innocentes. Atque ita sancti, ut
quopiam vel unica deprehenderent
peccati etiam levissimi macula, in eam
civitatem sanctam non admitteretur, et
statim inde expelleretur. O quàm lau
danda, quàm munda, Sancta Sanctorum!*

Colloquium.

O Anima mea! tu desideras intrare
aliquando, hæc cœlestia sancta
Sanctorum: optas vivere totâ aternitate
cum Deo, cum Christo, cum B.M. Virgi
ne & reliquis Sanctorum Choris: sed
frustra id speras, nisi sis sancta: si enim
vel unica fuerit in te peccati venialis le
becula, eâ durante, nunquam in illam Ci
vitatem sanctam admitteris: necesse e
nim est ad hujus ingressum, ut sis ab om
ni gravi & levi nævo peccati munda, pu
ra instar Crystalli, candida instar nivis
innocens instar pueri parvuli: si mihic
dem non habes, crede aternæ Veritat
diserte id affirmanti: *Amen dico vobis*

conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.
Matth. c. 18. 3.

5. Junii.

I. **A**ltera cœlestis hujus Civitatis excellentia est *Novitas*: ita enim vocat eam S. Evangelista: Vidi Civitatem sanctam *Jerusalem novam*. Cujus, vetus & judaica Jerusalem, umbra erat & figura; hæc autem lux est, & veritas ipsa. *Vidi cœlum novum & terram novam*, ait idem Apoc. c. 21. Cœlum novum, in quo, novus Rex, nova lex; nova lux, nova æthra; novus sol, nova luna; nova gaudia, nova cantica; novi rivi, novi fontes; novæ arbores, novi fructus; Nova dona, nova privilegia: qualia in mundi hujus veteramentis, nunquam visa: scilicet juventus sine senectute, satietas sine fastidio, libertas sine servitute, pulchritudo sine deformitate, abundantia sine egestate, immortalitas sine morte, pax sine perturbatione, securitas sine timore, Cognitio sine ignorantia, volitio sine malitia, gaudium sine tristitia. O
quàm

238 *Domus eternitatis. Consideratio*
quàm mira, quàm nova sunt hæc, in hoc
orbe veterascente ?

II. Sic in cœlesti Civitate, Deus novum
facit omnia, recedunt vetera ; quia novum
offert edulia, nova vestimenta, nova ob-
lectamenta, nova solatia. Quæ omnia
de S. Paula, quinque Monasteriorum in
Palæstina Fundatrice, & Monacharum
ductrice, recenset S. Hieronymus : *Satur-*
ratur, inquit, quia esuriit & læta decantat.
Sicut audivimus, sic vidimus, in civitate
Domini virtutum, in civitate Dei nostræ.
O beata rerum commutatio ! [& novitas]
Elevit, ut semper rideret : despexit læta
contritos, ut fontem Dominum reperiret.
Vestita cilicio est ; ut nunc albis vestimentis
uteretur & diceret : scidisti saccum meum
& induisti me lætitiâ. Cinerem sicut po-
nem manducabat, & potionem suam cum
fletu miscebat ; dicens : fuerunt mihi læ-
cryma mea panes die ac nocte ; ut in atr-
num pane Angelorum vesceretur & cant-
ret : Gustate & videte quoniam suavis est
Dominus. O quàm optata commutatio !
quàm ingens, novaque melioratio !

III. Denique in hac cœlesti Hiero-
solyma

Iolyma, ipsi cives beati, toti commutan-
 tur, innovantur, & veteri habitu depofi-
 to, in novos, cœlestes, ac quasi divinos
 homines, mirâ metamorphosi, transmu-
 tantur: præclarè id declarat, S. Cypria-
 nus de singular. Clericor. *Sicut, ait mo-
 dica aquæ gutta, multo vino infusa, à se
 tota deficit, viniq; saporem & colorem in-
 duit: ferrum candens pristinâ, propriâ-
 que formâ exuitur, & igni simillimum ef-
 ficatur; solis radio aër perfusus, in eandem
 transformatur luminis Claritatem: spe-
 culum radiis solaribus, directè irradia-
 tum; solis in se recipit similitudinem, id-
 que putares alterum esse solem: ita etiam
 Sancti & Beati Dei Charitate in intimis
 suis totaliter penetrantur, sicq; Deifor-
 mes effecti, in Dei similitudinem transfor-
 mantur. O nova, fulgida, ignita Divini-
 tatis specula!*

Desiderium cœli.

O Jerusalem nova! quando omnia
 ista nova tua, summâ admiratione
 & voluptate videbo? Quando cantabo
 cantica tua nova; *ubi hymnidici Angelo-*

Pars II.

L

rune

240 *Domus aternitatis. Consideratio*
rum Chori, ubi societas supernorum ci-
vium, ubi dulcis solemnitas omnium de hac
tristi peregrinatione ad tua gaudia redem-
tium. S. Aug. med. c. 25. Quando po-
tiar novis & stupendis favoribus, dom-
& privilegiis tuis? Quando cum S. Pau-
la, pro fletu gaudia, pro cilitio stolam
gloriæ, pro jejuniis obtinebo panem vi-
tæ? Quando velut ferrum candens, ve-
lut aquæ gutta, velut speculum & aë-
mutabor à te, illuminabor à te, ignescam
à te; O ignis consumens Deus meus: O
si penitus exuerem veterem hominem, &
induerem novum; ut dignus evaderem
cælo novo, Hierosolymâ novâ, novus
incola! O anima mea, quid hæres in re-
tustis & ruinosis mundi hujus casis, op-
pidulis & pagis? Cur adeò ægrè ista de-
seris? Ah! sursum cor erige: non habet
mus hîc manentem civitatem; sed futu-
ram inquirimus, tam formosam, tam
beatam, tam novam semper ut nunquam
veterascat. Ubi post mille millones an-
norum, cantica & gaudia omnia tæ-
sunt nova, ac si hodie primùm incho-
rentur?

6. Junii.

I. Tertia civitatis hujus cœlestis excellentia, est summa *pulchritudo & elegantia*, quam S. Joannes his verbis describit: *Paratam sicut sponsam ornatam viro suo. l.c.* Ut miram hanc pulchritudinem clariùs, coràm aut è propinquo intueri & nobis describere valeret Apostolus; civitas illa ornatissima descendit: *Vidi Ierusalem novam, descendentem de cœlo. l.c.* Deinde etiam ideo descendentem, ut electos ad se assumat: manet illa quidem in cœlo, sed per sui communicationem descendit in terram; ut homines in cœlum elevant: quemadmodum sol simul est in cœlo atque in terra; in cœlo per substantiam, in terra per influentiam & radios, quos eò diffundit. Hæc autem civitas beata est longè pulcherrima, quia est *parata sicut sponsa, ornata viro suo.*

II. Cogita, quantâ curâ & studio, Regis cujusdam potentissimi sponsa adornetur, quando in thalamum Regis sponsi est introducenda; velut Esther

242 *Domus aeternitatis. Consideratio*
aliæque puellæ Regis Assueri. Esth. c. 2.
quali cyclade, quali purpurâ, quibus
gemmis, margaritis, cimeliis & annulis
expoliatur. Et millies majora de purpura
chritudine, ornatu, auro, gemmis Sp
sæ, cœlesti Agno jam nuptæ, concipe
Quippe Civitas hæc non ex lapidibus
sed gemmis, auroque est constructa
portis non è lignis; sed è margaritis pre
tiosis fabricata: mœnibus ac muris, m
saxeis & lateritiis; sed smaragdinis
sapphirinis cincta: plateis non silicibus
duris; sed auro mundo & pellucido
tis exornata. Apoc. c. 22. Ideoque
à Sponso cœlesti compellata *Tota pul
chra, tota speciosa, absque omni
& macula.*

III. Et hæc est illa gloriosa Civitas
regia Dei, patria nostra; in qua scripsi
sumus, & cives decreti, scilicet cives
Sanctorum & domestici Dei: quam
bene consideremus & inspiciamus
quanta sit ejus magnitudo & amplitudo
quanta venustas & pulchritudo; quoniam
tus splendor, decor, honor, voluptas &
gloria, non possumus non ejus amore

inardescere. Vidimus civitates præclares, opulentas, pulchras, munitas; sed comparatæ huic Sioni inclytæ, viles, lutei ac rusticani pagi censendi sunt. Illa enim Civitas cœlestis est omni Venetiâ ditior, Florentiâ pulchrior, Bononiâ doctior, Genuâ Nobilior, Româ sanctior: cunctis Mundi Urbibus millies compertior, venustior & amœnior. Verè Civitas *perfecti decoris*. Ezech. c. 27. 3.

Affectus spei & desiderii.

O Jerusalem formosa! civitas decorata, Urbs fortitudinis nostræ, Sion inclyta; spei nostræ meta, honoris diadema: ad te calentia nostra volant desideria ac suspiria! *Mater Jerusalem, civitas sancta Dei, Charissima Sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea.* O quam decora, quam formosa, quam generosa tu es! tota pulchra es, & macula non est in te. S. Aug. med. c. 25. O dilecta patria, ego exul, anhelò ad te, noctu diuque propero ad te: & quis peregrinus non festinat ad patriam? quis tempesta-

L 3

te diu-

244 *Domus aeternitatis. Consideratio*
te diuturnâ jactatus non suspirat ad por-
tum? Vel ipsæ bestiae silvas suas, late-
brâsque natales amant; assueta leones
antra petunt: & arbores transplantata
solum originis mallent; Saxa ad cen-
trum, rivuli ad fontem, flumina ad mare
recurrunt; & ego non anhelem ad te
non cogitem te; non amem te, ô patria
charissima?

CONSIDERATIO XXIII.

Nuptiæ beatæ aeternitatis.

*Beati qui ad coenam Nuptiarum agni
cati sunt. Apoc. c. 29.*

7. Junii.

I. **S**ECUNDA parabola, beatitudinem ce-
lestem adumbrans est de nuptiis
regis, earumque convivio. *Simile est*
regnum caelorum homini Regi, qui fecit
nuptias filio suo. Matth. c. 22. 2. In huius
nuptiis Sponsus est Christus Dominus
noster, Regis aeterni Filius unigenitus.
Ita enim testatur S. Joannes in Evange-
lio suo c. 3. Dixisse Baptistam Dominum
Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem

tem Sponsi, qui stat & audit eum, gaudia
 gaudet propter vocem sponsi. Et decem
 Virginibus, de hoc sponso cœlesti di-
 ctum est: *Ecce sponsus venit, exite obviam*
 ei. Matth. c. 25. O quàm divinus, quàm
 amabilis sponsus!

II. Quænam verò est Sponsi hujus
 Sponsa? Est Christi vera Ecclesia, de qua
 Apostolus ait: *Despondi vos uni viro,*
Virginem castam exhibere Christo. 2. Co-
 rinth. c. 11. Ecclesia hæc nihil est
 aliud, nisi cœtus fidelium, & animæ om-
 nes fideles, quæ & singulatim sunt spon-
 sa particularis; sicut simul sumptæ sunt
 sponsa universalis. Licet verò virgines
 sanctæ, Deo quæ devotæ ac consecratæ,
 ratione speciali, Sponsæ Christi nomi-
 nentur; quia carnale connubium re-
 spuerunt, ut soli Christo spiritualiter nu-
 berent; tamen reliquæ etiam animæ
 Christianæ, Sponsæ sunt Christi, quo-
 niam ipsi per fidem desponsatæ, & per
 charitatem sunt unitæ, atque ad con-
 summationem spiritualis conjugii in
 cœlorum regno aspirant. O felices! o
 electæ sponsæ!

III. Perpende hîc , qualis iste sit
 sponsus , & qualis sponsa. Sponsus est
 pulcherrimus , speciosus formâ præ fi-
 liis hominum : Candidus & rubicun-
 dus , electus ex millibus. Est nobilissi-
 mus , quia Rex Regum est & Dominus
 Dominantium. Est ditissimus , quia cœli
 & terræ Dominus , ac Monarcha supre-
 mus. Est potentissimus cui omnia Pa-
 ter dedit in manu. Est sapientissimus
 in quo sunt omnes thesauri sapientiæ &
 scientiæ Dei absconditi. *Verè electus
 ex millibus. Cant. c. 5. 10.* At qualis est
 sponsa ? Est deformis ob peccata
 originale , & magis adhuc per actualia
 peccata deturpata est ; est vilis ancilla
 post vestigia gregum , seu passionum sua-
 rum abiens ; est paupercula , omnibus
 se bonis destituta , est æthiopissa , terra
 abominabilis : sed ex singulari sponsi
 gratiâ , lota , mundata , ornata , nobilitata
 elevata , atque in sponsam electa. Quan-
 ta est hæc gratia ? quàm stupendus favor
 est honor , talem Sponsum , tali sponsa
 desponsari ?

Affectus admirationis.

O Ecclesia ! O Virgo casta ! O anima Christiana ; à Christo electa, amata , ei que desponsata per fidem & charitatem : agnosce gratiam sponsi, agnosce dignitatem tuam , ad quam à Sponso tuo cœlesti elevaris ! Unde hoc tibi , ô humana anima ! Unde tibi hoc ? unde tam estimabilis gloria ; ut ejus sponsa merearis esse , in quem desiderant Angeli prospicere ? Unde tibi hoc , ut sit sponsus tuus , cuius pulchritudinem sol & luna mirantur ? Ad cuius nutum universa mutantur ? S. Bern. ser. 2. Dom. 1. post Epiph. Agnosce beneficium, mirare , gratias age, & amorem amoris repende.

8. Junii.

I. D E inde considera ; quænam ex hoc connubio cum Christo , Sponsæ obveniant bona , tam in præsentè vita, quàm in futura : nam 1. Hæc desponsatio , communia facit utriusque Conjugis bona : honores, divitias, voluptates ; adeoque bona Christi immensa.

L 5

com.

248 *Domus aternitatis. Consideratio*
communicantur Sponsæ, scilicet Eccle-
siæ, & cuique animæ fideli. Hinc quia
Sponsus est Rex, Sponsam animam, li-
cet serua sit vilis, & pauper, ad reginæ
dignitatem evehit. De qua S. Basilius
ait L. de vera Virg. Dicitur psal. 44.
Astitit regina à dextris tuis in vestitu de-
aurato circumdata varietate: quare, quæ
nunc pannoso vestitu, & seruili habitu
vilis putatur, in regno cœlorum regina
est nobilis, Regi astans reperitur.

II. Ex hac desponsatione animæ cum
Christo, casto que connubio, pulcherri-
mæ nascuntur proles, de quibus Orige-
nes hom. 20. in c. 25. Num. ubi ait
Dum igitur anima adhaeret sponso suo, &
audit verbum ejus, & puro ipsum amore
complectitur; inde nascitur generosa pro-
genies: inde pudicitia oritur; inde iustitia;
inde patientia, inde mansuetudo & cha-
ritas atque omnium virtutum proles ve-
neranda succedit. Potissimum verò Cha-
ritas, quæ quò est ardentior, eò magis
sponso unit, omnibusque nuptiali-
bus bonis & hîc & in regno cœlorum
ditat.

III. Quæ-

III. Quænam verò sunt illa bona cœlestia? Sponsa in supernas Mansiones, tanquam in dilecti domum & propriam possessionem ingressa, mox veste nuptiali charitatis & immortalitatis donatur; omnium virtutum præmiis, velut margaritis, gemmis, & monilibus pretiosis exornatur; coronâ gloriæ redimitur; Sponsi vultum semper intuetur, eoque summè pascitur, delectatur, ac satiatur. Ibi, ait S. Laurentius Justinianus de casto Connub. *fuge celebratur convivium, vitulus comeditur saginatus. Pax in illo gustatur interna, secura tranquillitas, tranquilla felicitas, jucunditas magna, amabilis societas, oscula unitatis, delectatio contemplationis. Visionis & dilectionis. Arque ex amoris mutui exuberantia, tanta est inter Verbum & animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo & conditionis inconsideratio: Omnia enim hæc quæ sunt Sponsi etiam Sponsæ, ex amoris & connubii privilegio, debentur.*

Gratiarum actio.

O Sponsa nobilissima, & regina jam
 formosissima! *Quid retribues Do-*
mino pro omnibus, quae retribuit tibi? In
sis socia mensae, socia regni & socia thal-
ami; ut introducat te Rex in cubiculum
suum? Vide quibus brachiis vicaria chari-
tatis redamandus & amplectendus sit, qui
tanti te estimavit; imò qui tanti te fecit.
Desere carnales affectus, seculares mor-
dedisce, consuetudines noxias obliviscere.
quid enim putas, nonne stat Angelus Domi-
ni, qui secet te mediam, si forte, [quod
avertat ipse] adulterum admiseris ama-
tores. S. Bern. ser. 2. Dom. 1. post Epiph.

9. Junii.

I. **C**onsidera denique convivium nu-
 ptiale, quod Rex sponsus, spon-
 sa suae in palatio caelesti adornat: Hoc
 convivium est planè regium, tanto Mo-
 narchâ dignum: est supra modum, mag-
 nificum, opiparum, ac splendidum. Pri-
 mò propter Architriclinum, illud insti-
 tuentem & exhibentem, qui est ipsa
 Chri-

Christus Dominus noster, cœli & terræ
Rex potentissimus. *Ego, inquit, dispono*
vobis, sicut disposuit mihi Pater meus reg-
num, ut edatis & bibatis, super mensam
meam in regno meo. Lucæ c. 22. 30.

Quando privatus quispiam convivium
instruit, magnis licet sumptibus, æstima-
tionem tamen non adeò magnam conse-
quitur; at verò, si Rex Assuero haud im-
par potentiâ, qui centum & viginti sep-
tem Provinciis imperabat, illud instrue-
ret; longè major exurgeret æstimatio.
Fecit grande convivium, cunctis Principi-
bus, ut ostenderet divitias gloria regni sui.
Esther. c. 1. 3. Quænam verò inter Re-
gem terrenum, & Cœli Imperatorem
proportio? ac proinde cogita, qualè hic
convivium adornabit; ut ostendat di-
vitas immensas gloriæ regni sui semp-
terni?

II. Convivium hoc nuptiale est lau-
tum omnino ac delicatum cupediis om-
nibus instructum: in quo non volucrum,
non piscium & ferarum cadavera, sed
ipsemet Deus. o. n. tanquam cibus, om-
nes Angelos & Homines beatos pascit,
L 7 latiat,

252 *Domus eternitatis. Consideratio*
satiat, & sui visione, amore, fruitione,
cum ineffabili gaudio & lætitia æter-
nùm oblectat. Nec deest generosissimum
vinum, omni nectare & ambrosiâ dul-
cius; de quo S. Bernardus l. c. *Jam de-*
sponsata es illi, jam nuptiarum prandium
celebratur, nam cœna in cœlo paratur: sed
ibi vinum non deficiet: inebriabimur enim
ibi ab ubertate Domûs: & torrente volup-
tatis ejus potabimur. Paratum est pro-
fectò illis nuptiis flumen vini, quod lætifi-
cat cor: siquidem fluminis imperus lætificat
civitatem Dei. O quale convivium, qua-
le vinum, quàm lapidum & abundans!

III. Denique convivium hoc nuptia-
le erit nobile, honorificum & verè regium:
si in mensa quapiam, in uno convivio,
omnes totius Mundi Reges ac Princi-
pes simul juncti accumberent; quàm
splendida censeretur mensa? Jam om-
nes Beati sunt Reges, gloriæ coronis re-
dimiti, & mensæ assident in thronis re-
giis, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli,
Martyres, Confessores, Virgines: assident
eidem mensæ, Seraphini, Cherubini,
Throni, Principatus, Dominationes, po-
testa-

testates, Archangeli & Angeli, qui omnes simul eodem cibo divino fruuntur, epulantur, delectantur, idque, non, ut in convivio Assueri, medio anno; sed totâ æternitate. O quàm nobile, quàm regale, principale, imò divinum nuptiale convivium! Cuinam non exciteretur orexis?

Colloquium.

O Anima Christiana! Sponsa Regis æterni dilecta! Anhelasne ad hoc convivium? si sic: cum Virginibus prudentibus te præpara & sponsum expecta, hisce dotibus ornata. 1. Sis virgo, non quidem necessariò virginitate carnis; sed saltem virginitate fidei & morum. 2. Sis prudens, ut oleum habeas in lampade & in vase, & quidem in lampade ardente & lucente, à charitate & bonis operibus. 3. Sis vigilans, & vigilando Domini adventum semper observa ac præstolare: clamat ille, *vigilate, vigilate: Ecce sponsus venit, exi- te obviam ei.* Quod si feceris, ingredieris cum eo ad nuptias: cave verò ne lampa-

lampa-

254 *Domus aternitatis. Consideratio*
lampade, olei defectu, extinctâ, dormiens reperiâre: quia pòst, frustra clamabis, *Domine, Domine aperi nobis*: auidies enim triste illud: *Clausâ est janua* nec unquam deinceps totâ æternitate tibi referanda.

CONSIDERATIO XXIV.

Thesaurus beatæ æternitatis.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Matth. c. 19. 21.

10. Junii.

Tertia parabola, repræsentans nobis regnum beatitudinis & à Christo Domino nobis proposita, est *Thesaurus absconditus*. Ait enim: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. l. c.* Ubi nota, quòd thesaurus absconditus significet copiam auri, argenti, lapidum pretiosorum, aliarumque operum magni valoris: sed is ita debet esse antiquus, ut non extet ejus memoria adeoque Domino proprio careat, ac perspectet ad inveniendum. Ita Paulus Jurisc. de acqui. rerum Domin. Pretiosus

sus utique ejusmodi thesaurus est, pro quo acquirendo, inventor vadit, & vendit omnia quæ habet, ut emat & obtineat eum.

II. Theſaurus *absconditus*, est regnum cœlorum, in quo maximi latent theſauri. In eo enim est Deus, infinitos in se continens theſauros, sed est theſaurus absconditus, quia *Deum nemo vidit unquam*. Latet in hoc Christus, cujus divinitas in agro humanitatis est abscondita; & in quo absconditi sunt omnes theſauri sapientia & scientia Dei. Coloss. c. 2. adeoque est theſaurus omnium bonorum, & tam antiquus, ut nulla ejus extet memoria; quia est æternus, nec unquam Dominum habuit, cum ipse sit Dominus omnium, libenterque se donat omnibus, in quo latent omnes divitiæ ac deliciæ cœlestes. Theſaurus quoque latens in eo, est cœlestis hæreditas, quæ omnibus hujus mundi theſauris est millies pretiosior, millies major, millies melior, opulentior & excellentior: sed est abscondita; *Quia nec oculus eam vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit.*

III. The-

III. Thesaurus hic absconditus; est verè desiderabilis, amabilis & admirabilis: est thesaurus ingens & incomparabilis, omnium thesaurorum pelagus infinitum: est thesaurus aternus; quia durat semper: est thesaurus infinitus, quia continet infinita & fine caret: est thesaurus cor satians, quia omnia ejus explet desideria: est thesaurus purus, nullâ scoria permixtus: est thesaurus certus; quia & à tineis, & à furibus, & ab incendiis & à maris fluctibus est tutus atque securus: ô quanto hujus thesauri amore flagrant homines, nisi ab eorum oculis esset absconditus? quàm sedulò eum quaerent, quàm ardentè desiderarent, si eum considerarent, perpenderent & cognoscerent? quia verò illis absconditus est, ipso neglecto, thesauros terrenos, vilescque toto conatu ambiunt, quærunt ac diligunt.

Admonitio.

O Filii Adam, genus avarum! quid vobis cum terrenis divitiis, quæ vilesc & nec vera, nec vestra sunt! Aurum & argen-

argentum, verè terra est rubea & alba, quam solus error hominum facit, ut magis reputet pretiosam. Denique si vestra sunt; [in morte] tollite ea vobiscum. S. Bern. serm. 4. Quod si vobiscum tollere nequeatis, adeoque nec vestra nec vera bona sint, cœlestes veras, ac vestras divitias quærite: quæ nunc absconditæ sunt; sed tunc patebunt, vosque æternum satiabunt ac beabunt.

.II. Junii.

I. **T**hesaurus cœlestis, qui nobis promittitur, & quem nos aliquando possessuros speramus: est *indeficiens*: sic enim eum Dominus nuncupat: *Thesaurum non deficientem in cœlis*. Lucæ c. 12. 33. *Omnia mundi bona, ut docet S. Chrysostomus, triplex interitus tollit; aut enim ex seipsis veterascunt; aut luxu Dominorum suorum consumuntur; aut ab extraneis dolo vel violentiâ, aut calumniâ diripiuntur*. In c. 6. Matth. Nihil horum reperitur in bonis ac thesauris cœlestibus: hi enim nunquam deficiunt, quia æterni sunt, quos nec vetustas destruit,
nec

258 *Domus aternitatis. Consideratio*
nec possessor absumit, nec ærugo inficit,
nec tineæ corrumpit, nec fur Clepit, nec
ignis devorat, nec mare demergit: unde
Salvator monet: *Facite vobis sacculos,*
qui non veterascunt, thesaurum non defi-
cientem in cœlis. l.c.

II. Quare ut thesauros terrenos de-
spicias, illisq̄ue cor tuum non apponas
sed cœlestes magni semper facias, &
corde toto investigates, crebrò, utrorum-
que discrimen ac distantiam juvabit
perpendere. 1. Thesaurus terrenus est
deficiens, multis enim modis, ut dictum
est, perdi, minui, absumi ac dilapidari
potest: Cœlestis è diverso, indeficiens &
inconsumptibilis est, ac perdurat in æ-
vum. 2. Terrenus thesaurus incertus,
instabilis, millenis periculis expositus
est; à tineis, à furibus, & prædonibus
cœlestis securus, ac tutus, quem tures
non effodiunt, nec furantur. 3. The-
saurus terrenus est exiguus, licet sicuti-
tissimorum Regum ac Principum, quia
arena est exigua; & cor non satiat: cœ-
lestis autem, est omnino grandis & im-
mensus, ac tantus, quantus est ipse Deus.
III.

III. Thesaurus terrenus 4. Est vilis & abjectus : quid enim est aurum & argentum , nisi terra nonnihil splendida ? Quid est purpura , byssus & margarita, nisi excrementum piscium, vermium, & concharum ? Cœlestis verò omnino pretiosus est , & inæstimabilis quia est Spiritualis , supernaturalis ac perennis. 5. Thesaurus terrenus demum in morte relinquendus est ; nec enim vel obolus in alteram vitam conferri valet. Cœlestis à morte possidetur , & in æternum non amittitur. Ex quibus omnibus liquet , quàm despicabilis sit omnis thesaurus Mundi, quàm pretiosus & desiderabilis thesaurus cœli , nunquam deficiens, sed permanens in perpetuum.

Paranesis.

O Insensati terrigenæ ! Oculos, per Deum ! aperite ; ac thesauri terrestris ac cœlestis distantiam bene apprehendite : ecce quàm facilè thesaurus terrenus amittitur ; cœlestis autem nunquam perditur ; nullis temporum spatiis minuitur ; nullis sæculorum periodis con-

260 *Domus aeternitatis. Consideratio*
consumitur, à morte non abripitur, &
in cœlesti regno æternùm amplè &
curè possidetur. *Nolite itaque thesaurizare vobis thesauros in terra; ubi erugit & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque erugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt neque furantur.* Matth. c.6. 19. *Thesaurizate vobis, ubi veri thesauri & veri divitiæ sunt. Vera autem divitiæ sunt quas cum habuerimus, perdere non possumus.* S. Aug. super Matth.

12. Junii.

I. **T**hesaurus cœlestis absconditus, est
In finitus, de quo jure dixeris
quod Sapiens prædicat de sapientia: *In*
finitus thesaurus est hominibus. Sap. 7. 14
Quia, ut diximus, continet Deum infinite
nitum; cujus Sapientia thesaurus est infinite
finitus, Bonitatis infinitus est thesaurus.
Omnipotentiæ est thesaurus rerum infinite
nitarum in ea latentium, instar gutturum
rum in Oceano. Visne nonnulla referre?
re? Delitescunt in ejus omnipotentia
mundi

mundi alii atque alii, tum huic similes, tum dissimiles, infiniti. Ibi sunt infiniti Spiritus Angelici, numero & specie distincti, perfectiores & perfectiores in infinitum: ibi sunt infiniti cœli, soles, lunæ & sidera: ibi infinita maria, infinitæ hominum gentes & nationes, series ordinisque gubernationis illarum aliæ atque aliæ innumerabiles & infinitæ: Species, figuræ, indoles animalium, quadrupedum, reptilium, natantium, volantium infinitæ. O quis non miretur?

II. Avésne intelligere plures, qui in Deo latent thesauros, quos in Deo & cum Deo eminenter possidebimus? Ibi species infinitæ plantarum, arborum, herbarum, florum, seminum, radicum & virtutum: ibi infinita metalla auri, argenti, gemmarum rerumque similium, numero & specie diversarum: ibi infinita regna, imperia, urbes, palatia, templa, horti, vivaria, æraria, gazophylacia, castra, classes, regiones, insulæ, silvæ, campi, agri, prata, fluvii, fontes, lacus, & alia quàm plurima, quibus non tantùm comprehendendis; sed ne cogitandis qui-

262 *Domus eternitatis. Consideratio*
quidem, ulla mens creata sufficit; enun-
tiandis sola par æternitas, continendis
verò sola idonea & sufficiens divinitas,
seu divina Essentia, Omnipotentia, Sa-
pientia & Bonitas. O quis non amet
quis non gaudeat, quis non speret & an-
helet, ut omnes hosce thesauros in Deo
eminenter obtineat ac possideat?

III. Huic infinito thesauro, accessit
thesaurus Christi infinitus: qui quod
Deus, continet cuncta prædicta; quæ ho-
mo, ô quales continet thesauros! hujus
modi sunt thesauri potestatis, thesauri
sapientiæ & scientiæ, thesauri gratiæ
meritorum, virtutum & gloriæ. In eo
fulget aurum Charitatis, argentum pu-
ritatis, margarita humilitatis & cætera
rum virtutum: ipse non solum est mar-
garita pretiosissima; sed & gemma gem-
marum: ipse enim est Carbunculus
quia lux est & flamma mundi: ipse est
Smaragdus, quia suo virore gratiæ, vi-
sum delectat Angelorum: ipse fortis &
invictus ut Adamas: gaudium pariter
sardius: lepram peccati sanat ut Chry-
soprasmus: ipse juvat ad partum bonorum

operum, quasi spiritualis jaspis : acuit ingenium, ut beryllus : ipse cœlestis est coloris & vitæ, ut Sapphirus : resistit somno & ebrietati, ut Amethystus ; ac cuilibet animi infirmitati, ut hyacinthus : ipse limus passionum sustinet ut topazius : ipse candore & nitore est sardonix ; aureâ Charitate est Chrysolithus. Unde hisce duodenis gemmis strata sunt fundamenta cœlestis Jerusalem : quorum singuli singulos notant Apostolos. Apoc. c. 21. 19. Ecce, hæc omnia & plura alia bona, cum Christo & in Christo eminenter possidebimus, in cœlesti gloria.

Petitio.

O Thesaurus divinus ! O thesaurus theandricus ! incomparabilis, immensus, infinitus ! quem tu spe non excites, quem amore & desiderio tui non succendas ? O Domine aperi, quæso, oculos mentis meæ, ut hunc thesaurum absconditum, cognoscam & æstimem ! Ego sanè quocunque stet pretio, ope gratiæ tuæ, eum mihi comparabo, etiam

Pars II.

M

labo-

264 *Domus æternitatis. Consideratio*
labore, sudore, sanguine: sine illo enim
licet dives sim, pauper sum: quocum, li-
cet pauper sim, dives sum: *Est quasi di-*
ves, cum nihil habeat, est quasi pauper, cum
in multis divitiis sit. Proverb. c. 18. 7.
Omnis enim copia, qua Deus meus non
est, egestas mihi est. S. Aug. med. c. 18. O
Domine, thesaurus meus unicuique & om-
nia? *Quid mihi est in cælo, & à te quid*
volui super terram? Defecit caro meo, &
cor meum, Deus cordis mei, & pars mea
[thesaurus & hæreditas mea] Deus in
æternum. Psal. 72. 25.

CONSIDERATIO XXV.

Bravium beatæ æternitatis.

Qui in stadio currunt, omnes quidem cur-
runt; sed unus accipit bravium.

1. Corinth. c. 9. 24.

13. Junii.

I. **Q**uarta parabola, sub qua felicitatem æternam adumbrat S. Paulus, est *bravium*; quod currentibus proponebatur, & ab uno celeritate cursu alios superante, reportabatur. *Nescitis,*

ait idem Apostolus, quod ii, qui in stadio currunt; omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. l.c. Adverte Doctorem Gentium hoc loco nomine bravii, intelligere æternam beatitudinem; ad quam, totius vitæ nostræ brevissimæ cursus, assiduè dirigendus est. Hoc bravium est summi pretii & maximum; sic enim decet brabeuten Deum, qui bravium proponit: Principes & Reges ad metam currentibus, aut ad scopum jaculantibus, bravium sæpe non magni valoris proponunt; sed Deum magnum, magna decent congiaria & præmia: est enim Rex infinitæ Majestatis & magnificentiæ: *Elevata est magnificentia tua super cælos. Psal. 2.* Tantum bravium cœleste decet ipsos quoque pugiles, qui sunt Filii Dei, hæredes Regni, Fratres Christi.

II. Hos autem pugiles Rex cœlestis ad currendum haud invitaret, si præmium non esset & suâ Majestate & Filiis Dei dignum: de quo S. Dionysius de Eccl. Hierarch. c. 2. inquit: *Certantibus Dominus præmia proponit, ut Deus; leges*

266 *Domus eternitatis. Consideratio*
autem certaminis tulit, ut sapiens; præ-
miâque vincentibus decora constituit &
pulcherrima. Sed qualia? Bravium ho-
noris, bravium victoriæ, bravium glo-
riæ sempiternæ, quod est beatitudo &
Deus ipse, ejusque visio, dilectio, & frui-
tio perpetua; in quibus vita & salus æ-
terna, ejusque essentia, excellentia, &
suavitas consistit: ipsum enim videre, ip-
sam amare & gustare vita æterna est, &
ipsius & omnium Sanctorum. O no-
bile bravium! O præmium cursu celer-
rimo dignum!

III. Ad hoc igitur bravium omnibus
currendum est Ecclesiasticis, Religiosis,
Sæcularibus: at quonam in stadio? Tem-
pus cursûs nostri vita nostra: stadium
verò omnibus commune est lex Domi-
ni, & via Mandatorum ejus, teste Davi-
de: *Beati immaculati in via, qui ambu-*
lant in lege Domini. Et Viam manda-
torum tuorum cucurri, cum dilatasti cor-
meum. Psal. 118. Hanc sæculares om-
nes decurrere tenentur, & si decurrant, ad
bravium currunt. Præter hoc stadium
omnibus Christianis commune, stadium
Cle-

Clericorum est, vita Ecclesiastica secundum Canones : stadium Religiosorum, vita & disciplina religiosa, secundum vota & regulas. Qui ab his stadiis recedunt, quantumvis currant, bravium non reportant; quia non ad bravium, sed in incertum currunt & extra stadium. Nihil enim aliud est, extra stadium & in incertum currere, quàm extra Decalogum, extra Canonem, extra regulam currere: quod diligenter se cavisse scribit Apostolus: *Ego sic curro non quasi in incertum. l. c.*

Paranesis.

O Christiani! ô Ecclesiastici! ô Religiosi! desideratisne hoc nobile ac cœleste bravium reportare? currendum est: sed ut nihil cursum sufflaminet aut retardet, impedimenta rejicienda sunt: *Omnis enim qui in agone contendit ab omnibus (impedientibus) se abstinet. l. c.* Abstinete igitur à gula, quæ debilitat, abstinete à luxuria, quæ enervat: abstinete ab avaritia, quæ onera imponit & gravat: sectamini verò temperantiam,

M 3

casti-

268 *Domus aternitatis. Consideratio*
castitatem, spiritus paupertatem, quæ
corpus & multò magis mentem robo-
rant. Atque ita strenuè pugnare & cur-
rere poteritis. Sed currite in via, in
stadio, non extrà: tenete stadium à Deo
vobis præfixum imitantes S. Apostolum
*Ego igitur sic curro, non quasi in incertum,
sic pugno, non quasi aerem verberans: sed
castigo corpus meum & in servitutem re-
digo; ne fortè cum aliis predicavero, ipse
reprobus efficiar. 1. Corinth. c. 9. 26.*

14. Junii.

I. **N**on sufficit currere, & ad bravium
currere & in stadio currere, sed
& celeriter currendum est; aliàs alii præ-
volant & bravium rapiunt, sed & per-
severanter currendum est. At quis ce-
lenter currit? Qui ardente voluntate &
charitate viam mandatorum decurrit.
*Beatus vir qui timet Dominum, in manda-
tis eius volet nimis. Psal. 111. Qui in
Clero cum fervore spiritus Domino ser-
vit: Spiritu ferventes, Domino servientes.
Rom. c. 12. Qui in ordine religioso,
magnâ alacritate & accuratione vota &*
regu-

regulas servat. *Qui sperant in Domino.*
 [expectantes ab eo bravium] *current*
 & non laborabunt: & tales cum perseve-
 rantia currunt, amore divino incitati,
 nec cessant currere, donec bravium re-
 ferant: scientes scriptum esse; qui perse-
 veraverit usque in finem, hic salvus erit.
 Matth. c. 10. 12.

II. Sic autem currere, disce à Rege &
 Duce tuo Domino Jesu. Quomodo ille
 cucurrit? Audi S. Bernardum: Ipse ho-
 minis sæculique Author, quamdiu cum
 hominibus conversatus est, nunquid stetit?
 Et quidem teste Scripturâ, pertransiit be-
 nefaciendo & sanando omnes. Pertran-
 siit, ergo sicut non infructuosè, ita non re-
 missè, non pigrè, non lento gradu, sed quem-
 admodum de eo scriptum est: Exultavit
 ut Gigas ad currendam viam. Porro cur-
 rentem non apprehendit, qui & ipse pariter
 non currit. Et quid prodest Christum
 sequi, si non contingat consequi? Ideo Pau-
 lus agebat: Sic currite, ut comprehendatis.
 Ibi Christiane, fige tui cursûs, profectûsque
 metam, ubi Christus posuit suam: Factus
 est, inquit, obediens usque ad mortem.

270 *Domus aternitatis. Consideratio*
Quantumcunque ergo cucurreris, si usque
ad mortem non perveneris, bravium non
apprehendes. Bravium Christus est. Epist.
254. ad Garinum.

III. Omnes quidem currunt, sed non
omnes accipiunt bravium. Currunt
(ex mente S. Anselmi) ethnici, currunt
haeretici, currunt reprobi; sed unus
Christianorum verorum & electorum
populus obtinet bravium. Et inter Chri-
stianos currunt Clerici, currunt Reli-
giosi, currunt saeculares, currunt juvenes
& senes, pusilli & magni, divites & pau-
peres, at non omnes; sed unus accipit
bravium; qui haud dubie Christus est,
qui ut *Gigas exultavit ad currendam viam*
suam. Et de quo dicitur: *Nemo ascendit*
in caelum, nisi qui descendit de caelo, Fili-
us hominis qui est in caelo. Joan. c. 3.
Verum Christus, non ascendit solus, sed
cum omnibus, qui cum ipso unum sunt,
per fidem & charitatem; qui viva & vera
membra sunt ejus corporis, cujus ipse
est caput. Quo deficiente, licet omnes
facultates suas in pauperes erogent, cor-
pusque suum tradant, ut ardeant; bra-
vium,

vium, id est Christum, ac cœleste regnum
nunquam consequentur.

Paranesis seu adhortatio.

QUapropter, ô Christiani! quotquot
in stadio curritis, non lentè: sed
velociter currite, & ne fatigemini cur-
rendo; ad bravium identidem oculos
reflectite. Christo vos jungite, in eum
oculos defigite, & cum eo currente, cur-
rite. Ipse ut homo cucurrit ad bra-
vium, & ut Deus ipse est bravium: ipse
enim est *via, veritas & vita*. Huc igitur
oculos & mentes: *Oculi mei semper
ad Dominum*. Psal. 24. Nolite atten-
dere, quid circumstantes dicant aut fa-
ciant: sive rideant, sive irrideant, sive
plaudant sive plodant, sive laudent, sive
vituperent; contemnite aliorum judicia,
more illorum qui in stadio currunt: per-
gite alacriter, currite velociter, ardenter,
perseveranter, semper per fidem & Cha-
ritatem Christo uniti, sic certò bra-
vium victoriæ & gloriæ æternæ repor-
tabitis.

15. Junii.

I. **L**ubet hoc loco, Senes venerandi, vobis & mihi stimulum addenda currendum; non attento, quòd vires deficient, oculi caligent, manus tremant, pedes terram radant. *Et corpus, quod corrumpitur aggravet animam;* tamen currendum est; omni quidem ætati, sed vel maximè senibus, magnis passibus ad vitæ metam properantibus, motus etiam in fine velocior. In aliis quidem usu venit, ut carnis senectus, hebetet etiam vires animæ, at oppositum evenit senectuti justorum ferventium: nam ut animus eis fervet, vegetusque ad labores invenitur, ita & ipsimet corpori vigorem atque alacritatem aspergit: quemadmodum equi de via licet fessi, vicinitatem tamen hospitii sui sentientes velociùs decurrunt.

II. Ita legimus illustres Dei servos, & sanctitate conspicuos, appropinquante vitæ senilis termino, novos in via Domini concepisse fervores, novos labores, in vinea Dei excolenda quæsisse, atque

atque ita cucurrille ad bravium. Aspici-
cite senes Venerabiles, Davidem, jam na-
tu grandævum, ædificationem Domûs
Domini moliri incipientem, Deo autem
opus hoc Filio ejus Salomoni reservan-
te, impensas nihilominus hujus operis,
in maxima copia præparantem. 2. Reg.
73. 12. Aspiciate Abrahamum jam cen-
tenarium, ac magnum Dei amicum, &
tamen à Deo audientem: *Ambula coram
me & esto perfectus.* Gen. c. 17. Ut senex
licet, velut à principio inchoet; & ad per-
fectionem currere incipiat.

III. Aspiciate Eliam Prophetam, zelo
igneo æstuantem, & tamen ab Angelo
audientem: *Surge, comede, grandis enim
tibi restat via.* 3. Reg. c. 19. 7. Scilicet
usque ad videndum in monte Horeb.
Dominum Deum suum. Aspiciate Di-
vum Paulum, jam senescentem, & au-
dite loquentem: *Propter quod non defi-
cimus; sed licet is, qui foris est, noster homo
corrumpatur; tamen, qui intus est, reno-
vatur de die in diem.* 2. Corinth. c. 4. 16.
Ecce virtus non gravatur annis, quin
potius annos ipsa sublevari ac vegetat.

274 *Domus eternitatis. Consideratio*
Hæc scilicet est prudentia Sanctorum,
ex senectute, non otii & quietis, sed la-
borum & fervoris ansas desumere, more
lampadum, quæ fortiùs ardent, & lucent
ampliùs, dum deficiunt.

Parænesis ad Senes.

QUapropter, Senes canitie spectabi-
les, exemplo Sanctorum ferven-
tium, vobis currendum est, & cum ve-
locitate currendum est: quia tempus
vestrum breve est, nec senibus longum
esse potest. Currendum est cum alacri-
tate, quia juvenes queunt mori, senes diu
vivere nequeunt; motus autem in fine
velocior: Currendum est cum hilaritate
animi & corde dilatato, per viam man-
datorum Domini; juxta monitum Au-
gelo Ephesino datum: *Prima opera fac.*
Apoc. c. 2. 7. Res enim periculi plena
est, *Charitatem primam* reliquisse. 1. c.
v. 4. Currendum denique est cum per-
severantia, ut priùs vos spiritus mortalis
vitæ, quàm fervor Charitatis & famel-
fitisquæ justitiæ ac perfectionis deficiat.
hâc ratione certò gloriæ cœlestis bra-
vium

vium comprehendetis & merebimini e-
 logium Patriarchæ Caleb. *Usque in se-*
nectam permansit illi virtus, ut ascende-
ret in excelsum terre locum. Eccli.
 c. 46. 11.

CONSIDERATIO XXVL.

Cœna magna beatæ æternitatis.

Homo quidam fecit cœnam magnam &
vocavit multos. Lucæ c. 14. 16.

16. Iunii.

I. **P**ARABOLA quinta Beatitudinem cœ-
 lestem nobis ob oculos ponens, à
 Salvatore nostro prolata, desumitur à
 Cœna magna. *Homo quidam fecit cœnam*
magnam. l. c. Homo ille, cœnæ hujus
 institutor est Deus, Rex cœli & terræ, &
 Filius ejus Redemptor noster, qui Eccle-
 siam sibi desponsat mysticè per gratiam;
 sed in cœlo hæ nuptiæ consummantur
 per gloriam. Ita S. Hieron. S. Gregor. &
 alii. Hic homo fecit *cœnam*: beatitu-
 do enim non dicitur esse prandium, quo
 sumpto, reditur ad curas & labores: sed
cœna, quæ laboribus peractis institui-
 tur,

276 *Domus eternitatis. Consideratio*
tur, sub vesperum, id est in fine vitæ &
in fine mundi, post labores hujus sæculi,
post quam nulla alia dabitur refectio,
quia ipsa est æterna.

II. Cœna hæc appellatur *magna*;
quia à Rege magno instituitur: *magna*
est, quia in magno cœli palatio exhibe-
tur: *magna*, quia ingenti convivarum
multitudine, dignitate ac splendore ce-
lebratur: *magna*, quia summâ feruli
appositi dulcedine & præstantiâ hono-
ratur. Quænam verò est hæc refectio?
quod ferculum? Deus est nostrum fer-
culum, cibus & epulum: Unde Euthy-
mius ait: *Significatur, hæc cœnâ, ineffabi-*
lis Dei fruitio, qui omnes Beatos satiat,
recreat, inebriat, beat, glorificat, ita ut
nihil ultrâ appetant, optent, aut deside-
rent. *Replebimur in bonis Domûs tuæ.*
Psal. 64. Verè igitur est *cœna magna*,
quia est æterna, & ut S. Gregorius ait
hom. 36. *Est satietas dulcedinis æternæ.*
Cujus intuitu omnes hujus mundi cœnæ
& epulæ breves sunt, & exigue, quia citò
finem assequuntur.

III. Ex quo patet insania Mundano-
rum

rum hominum, ventris sui mancipio-
rum, qui convivis, epulis, cœnis brevi-
bus, vilibus & cor non satiantibus, imò
fastidium & nauseam creantibus, adeò
ardenter inhiant; & cœnam illam mag-
nam, opiparam & æternam, totum cor
plenè saturantem tam frigidè ambiunt;
& media ad illam perveniendi respuunt:
quid enim? Temperantiam odissè; ab-
stinentiam cane pejùs & angue declina-
re, à jejuniis abhorrere; gulæ nihil de-
negare, eruditum ad omnes cupedias pa-
latum, non refrœnare; an recta ad cœ-
nam illam magnam est semita? Minimè
sanè. Non hi beati, sed: *Beati qui ad
cœnam [æternam] Nuptiarum Agni vo-
cati sunt. Apoc. c. 19. 9.*

Monitum.

O Ventris mancipia! O lurcones &
Comedones insatiabiles! qui pro
ventre explendo tantopere fatigamini;
& pro mente saginanda, adeò parùm la-
boratis: nolite esse insipientes; sed esto-
te prudentes; & ad cœnam illam gran-
dem aspirate: putidas ventris delicias
sper-

278 *Domus eternitatis. Consideratio*
spernite: nihil enim cupidiarum amit-
titis, dum gulæ irritamentis abstinetis.
Ea omnia, quæ Dei amore, vobis subtra-
hitis, fœnore magno, longè meliora in
cœlo recipietis. Cur ergo famem ad
cœnam illam magnam non differtis;
quam Salvator ipse, velut Architriclinus
instruit ac disponit? *Ego, ait, dispono vobis,*
ut edatis & bibatis super mensam meam
in regno meo, Lucæ c. 22. § 2.

17. Junii.

I. **V**erùm ut magis hujus cœnæ magnæ
cœlestis, in nobis excitetur ore-
xis & appetitus; ejusdem delicias non-
nihil expendamus. Reperiemus enim
ibi, velut in regio, splendidissimoque
convivio, quidquid saporum valet ob-
lectare gustum; quidquid odorum re-
creare potest odoratum; quidquid rerum
pulchrarum solet afficere visum; quid-
quid sonorum & symphoniarum mulcere
auditum; quidquid lenium titillare ta-
ctum, idque longè eminentiore ac per-
fectiore modo, quàm in vita præsentē: &
quia nec oculus vidit, nec auris audivit
taliam;

talia; verba deficiunt, quibus exprima-
tur *ineffabilis illa Dei fruitio, & Dulcedi-
nis aeterna satietas.* l. c.

II. Considera igitur, quàm pueriles
ac ridiculæ sint hominum rudium cogi-
tationes, cùm beatitudinem cœlestem,
non nisi in corporeis & visibilibus rebus
sitam concipiunt. Quid enim, obse-
cro, sunt camporum amœnitates, quid
hortorum deliciae, quid Regum palatia,
quid opes, quid honores, quid gaudia,
quid voluptates, quid mensarum cupe-
diæ, quid lepores, turdi, perdices, ficedu-
læ & phasidis alites; quid vocum con-
centus, quid fidium soni, quid flores,
quid gemmæ, uniones, fontes, apparatus,
vestes, ornatus & his similia? Omnia hæc
mundi bona nihil aliud sunt, nisi, velu-
ti cortices & putamina fructuum Para-
disi cœlestis. Et si talia sunt putamina
& cortices, ut homines amore illorum
insaniant; quid erunt fructus ipsi & po-
ma paradisi? Et si talia sunt poma &
fructus, quales erunt cibi reliqui solidio-
res & præstantiores, qui in illa cœna ma-
gna apponuntur & manducantur?

III. Cer-

III. Certè tales erunt, ut sine fastidio semper comedantur, & semper desiderentur: tantumque à nostris epulis distabunt, quantum cœlum à terra: sed in deo visibilibus ea comparamus, ut per ea ad meliora ascendamus; quia alias non capimus. Quemadmodum rusticus, nunquam è casâ suâ egressus, nunquam urbem vel aulam conspicatus, & audiens sibi referri de regio convivio, imaginatur sibi, alia in eo non comedi, nisi pultes avenaceas, rapas, staphylinos, laridum pingue aut casei frustum. Et quemadmodum si equus reflexionis & discursûs esset capax, hominè que vivantes cerneret, eos tenerum fœnum ac pinguem avenam vorare judicaret. Ita quoque nos in huiusce tenebris nostris de cœlestibus, velut cæci de coloribus, judicamus.

Affectus pudoris & confusionis.

PUdore igitur suffundimini, quotquot estis de Epicuri grege porci, qui vix ullam aliam beatitudinem agnoscitis, quàm corpoream & carnalem, qua-

lem ferè Mahomet, Arabibus & Sectatoribus suis proposuit. Pudeat vos Christianos, tam abominabiles fovere imaginationes, ut beatitudinem in cibo & potu, in ludo & venere, in divitiis & ambitione collocetis, & eandem cum brutis animantibus communem felicitatem habeatis. Oculos, obsecro, in cœlum attollite; cœnam illam magnam aspiciate; ejusque delicias ineffabiles & æternas, non obiter & perfunctoriè, sed seriò & sæpe considerate: hâc viâ futurorum neglectum, & præsentium æstimationem facilè elidatis cum Apostolo; *Non contemplantibus nobis, quæ videntur; sed quæ non videntur.* 2. Corinth. c. 4. 18.

18. Junii.

CONSIDEREMUS demum impedimenta, à cœna magna homines excludentia. Ea tria sunt, ex genere suo non mala; sed quæ ex affectu nimio & inordinato salutem æternam impediunt: villam enim emere; boves probare & uxorem ducere, peccata non sunt; sed illa

282 *Domus eternitatis. Consideratio*
illa regno cœlorum antepone, in
dibilis cæcitas est. Primum impe
nientum salutis, quod in emptione vi
denotatur, est mundi honor, dignitas
potentia. In *villa emptâ* inquit S.
gustinus de verbis Dom. sec. Luca
serm. 33. *Dominatio notatur; ergo*
bia castigatur; quia inventâ superbiam
nire noluit. Hæc autem excludit à
na magna: *Qui se exaltat humiliabitur*
Matth. c. 23. 12. *Ecce enim dies veni*
succensa, quasi caminus, & erunt omni
superbi, & omnes facientes impietatem
stipula & inflammabit eos dies veniens
et Dominus Exercituum, quæ non de
linquet eis radicem & germen. Malach.
c. 4. 1. *Superbia igitur ad flammam, non*
ad cœnam magnam ducit.

II. Impedimentum secundum, quod
per agriculturam & exercitium bonum
significatur, est avaritia, utilitas propria
lucra, commoda, divitiæ, pecunia. *In*
bonum emi. l. c. Avaritia autem impe
dimentum salutis est, arcetque à cœna
magna. *Avaro enim nihil est scelestum*
Eccl. 10. 9. *Et Avari regnum Dei non*

eratio
, inc
impe
one vi
gnitas
it S.
Luc
go sup
erbia
lit à c
ilabir
ies veni
nt om
pietate
niens
on de
Malach
am, ne
m, quod
n boum
propria
ia. In
n impe
e à cœ
celesti
Dei n
possi

ssidebunt. 1. Corinth. c. 6. 10. Impedi-
mentum tertium salutis, quod per no-
vas nuptias intelligitur, est luxuria &
voluptas carnalis. *Uxorem duxi; & ideo*
non possum venire. Quid per uxorem, nisi
voluptas carnis accipitur. S. Gregor. hom.
36. in Evang. sed & hoc vitium, à cœ-
na magna cœlesti repellit: quoniam qui
alia agunt, regnum Dei non consequentur.
Ad Gal. c. 5. 21.

III. Considera nunc, quot hominum
milliones terra dicta impedimenta, à
cœlesti cœna arceant: unde monet S.
Joannes 1. ep. c. 2. *Nolite diligere mun-*
dum, nec ea quæ in mundo sunt, quoniam
omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia
carnis sunt, concupiscentia oculorum &
superbia vitæ. Percurre mundum u-
niversum & cernes, quàm multi, non
modò ethnici & infideles; verùm etiam
Christiani, ita se dies & noctes compa-
randis, fruendisquæ temporalibus im-
pendant, ut cœnæ illius magnæ, infini-
tis divitiis, deliciisquæ refertæ, penitus
obliti videantur. Quantus præterea
illorum numerus est, qui non tantùm
vil-

284 *Domus eternitatis. Consideratio*
villas emunt, juga bouum probant, uxores ducunt; sed ut quàm longiffic
à via salutis recedant, villas alienas
vadunt, boves abducunt, scorta alunt
& nunquam considerant, qualia detri-
menta, propter ejusmodi quisquillus
incurrant, & magnam illam æternamque
cœnam amittant; latâ jam senten-
tiâ: *Dico vobis quòd nemo virorum*
illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam
meam. l. c.

Paranesis.

O Cæci! ô insensati, deliciis, divi-
tiis, honoribusque nimium inescan-
ti, & agglutinati mortales! *Tollamus de*
medio excusationes vanas & malas & ven-
iamus ad cœnam, quâ intrinsecus sagine-
mur. Non nos impediât extollentia su-
perbiæ; non nos extollat curiositas illicita
& avertat à Deo; non nos impediât vo-
luptas carnis, à voluptate cordis, venie-
mus & saginemur. S. Aug. loc. cit. Pe-
nitentiam agamus, salutis impedimenta
removeamus, æterna momentaneis an-
teponamus, cœnam illam magnam sem-
per

Junii 19.

285

per esuriamus: famem toleremus, non
ut canes immundi & rabidi, qui in cibo
capiendo nihil quærunt, nisi bonum
oris & ventris; sed ut homines rationis
compotes, esuriamus cibum vitæ æter-
næ, cœnam magnam, in qua proponitur
panis Angelorum, manna absconditum,
quo Deus ipse ab æterno & in æternum
fruitur cum omnibus Sanctis suis: *quod
nemo scit, nisi qui accipit. Apoc. c. i.*

CONSIDERATIO XXVII,

Regnum beatæ æternitatis.

*Regnum tuum, regnum omnium seculo-
rum. Psal. 144. 13.*

19. Junii.

SExtra parabola beatitudinem coele-
stem nobis aliquo modo repræ-
sentans, & sæpius à Redemptore nostro
præposita, est *Regnum Cælorum. Assi-
milatum est regnum cælorum homini Regi.*
Matth. c. 18. 25. Et hoc est regnum
illud, quod indies in oratione Domini-
ca postulare nos docuit: *Adveniat reg-
num tuum.* Ad hoc regnum in die ju-
dicii

286 *Domus eternitatis. Consideratio*
dicii Dominus vocabit electos suos di-
cens : *Venite benedicti Patris mei & pos-*
sidete paratum vobis regnum. Matth.
25. 34. Hoc quoque regnum promissum
pauperibus : *Beati pauperes spiritu, quoniam*
inimiam ipsorum est regnum caelorum & Pa-
tientibus : Beati qui persecutionem pati-
untur propter justitiam, quoniam ipsorum
est regnum caelorum. Matth. c. 5.

II. Verum in quonam consistit reg-
num hoc toties promissum ? In Clara
visione, dilectione & possessione Dei &
in finitarum ejus divitiarum, cum sancti-
tate, *justitia pace & gaudio in spiritu sancto*
Et : quibus fruuntur Sancti in caelo
empyreo, ubi omnia ista summa cum
excellencia reperiuntur : nam ipsa Dei
visio Clarissima est absque caligine ; di-
lectio sine imperfectione, possessio sine
timore, divitiarum sine egestate, sanctitas si-
ne naevo, justitia sine iniquitate, pax sine
dissensione, gaudium sine dolore. Quo-
quot in hoc regno amplissimo degunt,
sunt Reges potentissimi, & quilibet hoc
regnum possidet absque dependentia ab
alio : quamvis enim unicus tantum bea-

tus foret, regnum tamen hoc integrum possideret: licet ex aliorum consortio gaudium augeatur.

III. Quis explicet, quantâ hi Reges cœlestes in regno illo glorioso, honore fulgeant? Gestant omnes in capite coronam gloriæ: *Dabo tibi coronam gloria.* Apoc. c. 2. 10. Gloriâ & honore coronati, omnes in thronis regiis confident: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno.* Apoc. c. 3. 21. Omnes gaudent magnâ jurisdictione & potestate: *Quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Matth. c. 25. Omnes cum supremo omnium Rege regnant ac triumphant: ideóque triumphans Ecclesia appellatur Regina, quæ Astat à dextris sponsi sui, *in vestitu de aurato, circumdata varietate*, plurimorum donorum ac virtutum cœlestium.

Affectus gratulationis.

O Felices regni cœlestis incolæ, & Reges gloriosi! qui regni ejus possessionem jam adiistis; ô quàm gaudeo! quàm vobis ex animo congratulor!

Pars II

N

Quid

288 *Domus aternitatis. Consideratio*
Quid amabilius, quid jucundius, quid
honorificentius vobis esse potest, quam
Deum facie ad faciem videre, tale reg-
num possidere, coronâ gloriæ fulgere,
in throno magnifico consistere, & po-
testate regiâ gaudere ac Reges esse in
Societate tot Clarissimorum Regum,
quorum minimus incomparabiliter ma-
jor est, omnibus Regibus terræ. Vere
*Nimis honorati sunt amici tui Deus, ni-
mis confortatus est principatus eorum.*
Psal. 138. 17.

20. Junii.

I. **C**ONSIDERATâ regni cœlestis Maje-
state & gloriâ: consideranda
quoque est ejus securitas, soliditas, fir-
mitas ac stabilitas. Quotquot regnum
hoc adeunt, certi securique sunt, quod
nunquam illud sint amissuri: janua enim
cœlestis Sionis, quasi adamantinis est
firmata seris, nulli præbens exitum:
*Quoniam confortavit seras portarum tua-
rum, benedixit Filiis tuis in te.* Psal.
145. 13. De quo S. Augustinus scribit
L. 22. de Civ. c. 30. *Tuta habitatio par-
disus;*

disus; ubi non erit hostis impugnans, nec
 ulla peccati illecebra: sed summa & certa
 securitas, secunda tranquillitas, tranquilla
 jucunditas, & jucunda felicitas. Omnia
 regna mundi fluxa & instabilia sunt, se-
 cura non sunt, licet videantur esse po-
 tentissima.

II. Hanc instabilitatem, quatuor ista
 regna, in statua grandi & aurea Na-
 buchodonosoris adumbrata, atque ob-
 pedes luteos in pulverem contrita, ad o-
 culum demonstrant. Ubinam enim
 modò est statuæ caput aureum, id est
 regnum Chaldæorum, primum & anti-
 quissimum, cui præerat Rex Nabucho-
 donosor? Corruit, & contritum est in
 pulverem. Ubinam est statuæ pectus
 & brachia argentea, scilicet Regnum
 Persarum & Medorum, quod sub Cyro
 Rege floruit, argento abundans & opu-
 lentissimum? Sub Balthasare cecidit &
 eversum est. Ubinam est statuæ venter
 & femora ærea, sive Regnum tertium
 priori succedens, nempe regnum Græ-
 corum, quod sub Alexandro, quasi uni-
 versæ terræ imperavit, forte ac durum,

N 2

cujus

290 *Domus eternitatis. Consideratio*
cujus gloria longè latèque resonuit? Periit, delectum est, locumque regno quarto reliquit.

III. Ubinam denique est statuæ pedum pars ferrea & pars fictilis, scilicet, Regnum Romanorum, quod quasi ferreum fuit, & instar ferri omnia comminuit? Divisum est in Romanum & Turcicum imperium, & imminutum est, quando Hispani, Franci, Angli, Poloni se subdixerunt ejus potentia, Regesque proprios sibi elegere. Atque ita hæc regna amplissima, uti & omnia alia caduca sunt, secura non sunt, nec stabilia, unicum & solum Regnum tuum, ô Deus! est securum, firmum ac stabile, quod nullus hostis, nullus Tyrannus, nulla potentia potest evertere.

Paranesis ad Reges.

Speculum hoc instabilitatis intuemini, ô Filii Adæ! ô Reges ac Principes! & discite 1. Vanitatem Mundi & omnium regnorum ejus. Ubi nunc regnum Assyriorum? Ubi regnum Israelitarum? Ubi regnum Chaldæorum, Persarum,

rum, Medorum, Græcorum, Antiquorum Romanorum? evanüere, periëre & vix nomina restant. 2. Discite: quia *Omnis potentatus brevis vita*. Ubi nunc Nabuchodonosor ille inclytus? Ubi Cyrus? Ubi Darius? Ubi Pompejus? Ubi Antonius? Ubi Alexander? *Unus Pelleo juveni non sufficit orbis, Sarcophago contentus erit, Mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula*. Ubi tot Ethnici, tot Christiani Imperatores Romanorum? Ubi tot Reges Francorum, Hispanorum, aliorumque regnorum? Obiëre aliisque sceptrum & cororam cessëre. Idem continget vobis, ô Reges & Principes terrarum! O igitur sapite & regnum cœleste, regnum æternum, tam securum, tam stabile, tam opulentum ac beatum quærite, pro illo pugnete, nec cessate donec expugnetis.

21. Junii.

I. **R**egnum cœli, in quo Deus & Christus ac Sancti regnant est *æternum*; & inde encomia prædicta, securitas, stabilitas, soliditas nascitur. Est æter-

N 3

num,

292 *Domus aternitatis. Consideratio*
num, quia est *regnum omnium saeculorum*.
De quo vaticinatus est Daniel. c. 2. 44
In diebus autem regnorum illorum, susci-
rabit Deus caeli regnum, quod in aeternum
non dissipabitur: & regnum ejus alteri po-
pulo non tradetur: comminuet autem &
consumet universa regna haec, & ipsum
stabit in aeternum. Et hoc est regnum
Christi, qui est de monte abscissus lapide
sive manibus & comminuit testam & fer-
rum, & as & argentum & aurum. l. c. id
est omnia alia regna evertit, dum infide-
litatem, idolatriam & vitia excindit suae
que obedientiae subijcit.

II. De hoc regno aeterno, & nun-
quam finiendo, S. Archangelus Gabriel
praedixit Beatissimae Virgini Lucae c. 1.
33. *Regnabit in Domo Jacob in aeternum,*
& regni ejus non erit finis. Id est Regna-
bit in posteris Jacob, seu in Ecclesia; reg-
nabit in posteris Davidis, Deus enim da-
bit illi sedem David Patris ejus, regnabit
autem, non ut David temporali domi-
natione, sed spirituali, qua Christus in
fidelibus & Sanctis regnat, hic per gra-
tiam; & in caelo regnabit per gloriam:
quod

quod regnum cœpit Christo prædicante, promotum est per Apostolos, perfectum fuit post Christi resurrectionem & ascensionem, consummatum omnino & gloriosum erit, post iudicium universale in cœlo, destructis & cessantibus omnibus mundi regnis.

III. Considera bene & sæpe hoc regnum, quod est omnibus aliis mundi regnis infinitè excellentius, ut ejus amore ac desiderio accendaris: est enim, 1. Regnum sanctissimum, neminem admittens, nisi sanctum. 2. Est regnum securissimum, ab omni metu & periculo amissionis remotum. 3. Est regnum nobilissimum, tot Regibus, quot incolis ornatum; omnes enim reges efficit. 4. Est regnum felicissimum, ab omnibus adversis liberum, omnibus bonis refertum. 5. Est regnum divinissimum, in quo regnat Christus, Deus ac Dominus noster. 6. Est regnum sempiternum, quia ejus nunquam erit finis. Et hoc est regnum illud quod Christus, ante omnia, nos quærere voluit: *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus: & hæc omnia*

294 *Domus aeternitatis. Consideratio
nia adjicientur vobis. Lucæ c. 12. 31. Om-
nia, quasi mantilla & paucillum ad po-
dus adjici solitum, adjicientur vobis.*

Affectus desiderii.

O Salvator mi, Rex Regum & Do-
minus Dominantium! omnia reg-
na mundi caduca & citò transeuntia
spernor: Adveniat regnum tuum,
sanctum, regnum securum, nobile,
felix, divinum & sempiternum: quocirca
ut obtineam: Cum S. Bernardo, humiliter
supplico: *Veni Domine Iesu, aufer
scandala de regno tuo, quod est anima mea,
ut regnes tu, qui debes, in ea. Veni enim
avaritia & vendicat in me sibi sedem: In-
stantia cupit dominari mihi: superbia
vult mihi esse Rex: Luxuria dicit, ego reg-
nabo: ambitio, detractio, invidia & ira-
cundia certant in me ipso, cujus potissimum
esse videar. Et dico: Non habeo Regem nisi
Dominum Iesum. Veni ergo Domine di-
sperseris illos in virtute tua; regnabis in me,
quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus,
qui mandas salutes Iacob. Homil. 4. super
missus.*

CON.

CONSIDERATIO XXVIII.

Corona beatæ æternitatis.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.

2. Tim. c. 4. 7.

22. Junii.

I. **S**eptima parabola felicitatis æternæ, depingitur nobis ab Apostolo, sub schemate *corona*: ubi ad Veteres, præsertim Romanos alluisse videtur: qui Victoribus in prælio, varias distribuiebant coronas, triumphales, obsidionales, murales, Civicas, castrenses, navales. Plenam victoriam reportanti ac triumphanti, coronam imponebant triumphalem: absque sanguine hostem vincenti ac fuganti, ovalem: mœnia primùm superanti, muralem: primùm castra hostilia penetranti, castrensem: primùm hostium naves transeunti, navalem rostratam, civem in prælio servanti civicam; alii gramineam, alii myrteam, alii quernam, alii lauream, alii argenteam

N 5

team

296 *Domus aternitatis. Consideratio*
team, vel auream, vel gemmeam. Verum
quid omnes hæ coronæ, cum omni ho-
nore earum, ad coronam cœlestem? Ni-
hil nisi fumus & umbra.

II. Corona quæ nobis promittitur
vocatur I. *Corona justitiæ*; quæ, suppo-
sitâ promissione Christi, ex quadam ju-
stitiâ commutativa, pro operibus bonis
debetur; non quidem ex justitiâ rigida
sed tali, qualis inter Patrem & Filium,
Herum & servum, Creatorem & Creatu-
ram esse potest: quia ex liberalitate pro-
misit nobis mercedem ac proinde, *debet-
torem se fecit non tantum sibi, sed & Chri-
sto & nobis, ut illi dicere possimus: reddet
quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti.*
S. Aug. ser. 16. de Verb. Ap. Hæc autem
corona justitiæ, est beatitudo æterna,
quæ Vincentibus, tanquam præmium
legitimè certantibus, Deo quæ fidem con-
stanter servantibus donatur: ut de se ait
Apostolus: *Bonum certamen certavi,
cursum consummavi, fidem servavi,
in reliquo reposita est mihi corona
justitiæ, quam reddet mihi in illa die
justus Iudex, non solum autem mihi,*

sed & iis qui diligunt adventum ejus. 2.

Tim. c. 4. 7.

III. Confer jam coronas Gentilium Romanorum, & Christianorum: expende illorum labores & pugnas, ut corruptibilem coronam obtinerent; & ex iis infer, quid tibi praestandum, ut reportes incorruptam? Illi strenuè decertabant, vitam exponebant, vulnera & mortem contemnebant, ut coronam labilem & gloriam inanem referrent: quid igitur tibi pro Christo, pro fide, pro Evangelio, pro virtute, pro salute aeterna & corona justitiae sempiterna, & faciendum & tolerandum erit? Praeclare Tertullianus ad Martyres c. 4. *Si tantum terrena gloria licet, de corporis & anima vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant, sub praemio laudis humana: possum dicere, modicae sunt istae passiones ad consecutionem gloriae caelestis. Tanti vitrum; quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso?*

Adhortatio.

O Athleta Christi! desiderasne honorificam hanc justitiæ coronam? noli amare otium & inertiam; noli fugere pugnam, noli detrectare certamen: Audi Classicum, quod canit S. Chrysostomus serm. de Mart. Tom. 3. *Delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prelio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spondidisti; conditionem quâ accessisti, militiam cui nomen dedisti. Coronâ justitiæ nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.*

23. Junii.

I. **C**ORONA certantibus legitime promissa, appellatur quoque *corona vite. Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vite. Apoc. c. 2. 10. 1.* Vocatur *corona*, quia ejus rotunditas instar circuli, perfectionem & completum omnium bonorum & gaudiorum
prin-

principio & fine carentem significat. 2. Hæc autem beatitudinis corona non datur nisi certantibus. 3. Ponitur in capite, id est in intellectu Beatorum. 4. Est de lapide pretioso, id est de summo dono & bono. 5. Est corona, quia omnes Beatos, Reges efficit. 6. Lapidem pretiosum coronæ seu beatitudinis æternæ, præter lapidem præcipuum, nempe Deum, & visionem ejus, sunt duodecim gaudia accidentalia, ex visione Dei promanantia. Ut pax, securitas, satietas &c. O quàm corona nobilis!

II. Dicitur quoque corona *vita*, 1. Quia Beatorum gloria & gaudium semper vivet; ipsique semper vigeant & floreant in æternum; nunquam senescent, nunquam deficient, nunquam fatigabuntur: ideoque hæc corona vitæ & gloriæ à S. Petro Ep. 1. c. 5. vocatur *immarcescibilis*. 2. *Vita* includit delicias, gloriam, sapientiam & omne bonum, quod ex hac vita promanat. 3. Ad insinuandum, Sanctos Martyres, qui pro Christo vitam posuerunt, occisi que sunt, non amisisse vitam; sed eam in melio-

300 *Domus eternitatis. Consideratio*
rem commutasse: aptissimè enim respon-
det morti pro Christo, veræ vitæ præ-
mium. *Corona vitæ promittitur*, ait Abba
Joachim, *quia is, qui donant vitam De-*
cum triumpho pretiosa mortis, perveniunt
ad veram vitam, quoniam, ut eam servare
possent in regno, eam in exilio perdid-
runt, juxta illud Ioan. c. 12. Qui amat ani-
nam suam perdet eam, & qui odit animam
suam in hoc mundo; in vitam eternam con-
stodit eam.

III. Hæc autem *corona vitæ*, non da-
tur incipientibus, sed perseverantibus.
Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi
coronam vitæ. l. c. Incipere multorum est,
perseverare paucorum, unde & grande
præmium illorum, qui perseverarint, ait
S. Hieron. L. i. contra Jovin. illud præ-
mium assignat Christus Matth. c. 10.
Qui perseveraverit usque in finem, hic
salvus erit. Præclarum patientiæ &
perseverantiæ specimen nobis S. Lyd-
wina Virgo præbuit, octo & triginta
annis, dolores acutissimos perpessa:
quæ cum octavum & vicesimum in in-
firmitate sua annum ageret, martyrii de-
siderio

fiderio inflammata, in ecstasi vidit coronam, elegantissimam quidem, sed necdum in orbem penitus absolutum: quam ut compleret, morbos plures adversitatesque à Deo enixè efflagitavit: annuit divina Bonitas, immittens milites, qui eam convitiis & verberibus malè multarent. Ac tunc demum, cælestis Genius, solis instar coruscans, ad eam venit: dixitque: *Salve Charissima soror: ecce nunc est absoluta corona, quam nuper imperfectam vidisti: ludibria & vulnera, corpori tuo imposita, fuere gemma, quas in illa corona & adesse conspexisti & deesse.* Surius in vita. Tom. 2. Imitare, Lector in morbis, in adversis, in persecutionibus. *Tene quod habes ne nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. c. 3.

Paranesis.

DEsiderásne, ô Asceta! coronam vitæ, in cælo aliquando vertici tuo imponi? Uni Deo vive, mundo morere, carnem cum vitiis & concupiscentiis erucifige; mundi vanitates & noxia confortia fuge; diæteriaque ideo toleranda

302 *Domus aternitatis. Consideratio*
randa despice; sic enim probaris, sic in
virtute solidaris: *Beatus vir qui suffer-*
tationem; quoniam cum probatus fue-
rit, accipiet coronam vite. S. Jacob. Ep.
c. 1. 12. *Exemplo S. Lydvinae, in do-*
loribus, in opprobriis perferendis; esto
constans, & fidelis usque ad mortem. Et
accipies coronam vite. Tolle perseveran-
tiam, nec obsequium mercedem habet, nec
beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.
Denique non qui coeperit, sed qui perseve-
raverit usque in finem hic saluus erit. S.
Bern. ep. 129. ad Genuenses.

24. Junii.

I. **T**ertio felicitas aeterna dicitur im-
marcessibilis *corona gloria*. Haec
rursum est Deus, ejusque beatifica visio,
quae omnes Beatos coronat gloria aeter-
na; estque *immarcescibilis*, quia nun-
quam marcescit, velut laureae, myrtae,
argenteae & aureae hujus Mundi coronae
quas demum mors demetit, & arefacit.
Hanc *coronam gloria*, speciali titulo, ap-
promittit Episcopis, & Pastoribus ani-
marum, si officio suo rite fungantur.
Pastor

Pastor Pastorum S. Petrus, dum ait:
Pascite qui in vobis est gregem Dei, provi-
dentes non coactè, sed spontaneè secundum
Deum: neque turpis lucri gratia; sed vo-
luntariè: neque ut dominantes in Cleris,
sed formâ facti gregis ex animo: Et cum
apparuerit Princeps Pastorum, percipietis
immarcescibilem gloria coronam. 1. Petri
c. 5. 2. Atque hæc erit laboris merces
magna nimis.

II. Hujus corone immarcescibilis spe
 excitat, animatque Pastores. S. Petrus,
 præscribens modum pascendi oves, dum
 dicit. 1. *Pascite, regite, informate,*
custodite gregem vobis commissum. 2.
Non coactè, id est: non coacti penuriâ
rerum temporalium, ut ex redditibus
pastoratûs vivatis; sed spontaneè ut ani-
mas juvetis; atque ad Deum dirigatis, ab
eo sperantes mercedem æternam in cœ-
lis. 3. Neque turpis lucri gratiâ. Non
ex avaritia, ut lucro inhietis, & opes vo-
bis, cognatisque corrogetis, quod vobis,
utpote personis Deo & cœlo dicatis, vi-
le, turpe ac sordidum est, sed voluntariè,
promptè, liberè, animo propenso &
 ex

304 *Domus aternitatis. Consideratio*
extoto corde, omnium commodis
impendite. 4. *Neque ut Dominantes in*
ris: neque, tanquam Domini, despo-
cè & arroganter imperantes Ecclesia,
quæ est fors & hæreditas Domini. 5. *sed*
forma facti gregis: id est exemplar
sanctæ, sanctè vivendo, idque *ex animo*.
Non ad externam speciem, non affectu-
tè, fictè & hypocriticè; sed verè & sincè-
rè ex animo, & extoto corde. *Exem-*
plum esto fidelium, in verbo, in conver-
satione, in Charitate, in fide & castitate.
Tim. c. 4. 12. *Hâc viâ percipietis immor-*
tescibilem gloria coronam.

III. S. Basiliius in Moral. reg. 80. c. 13.
Prædicta declarat & exponit, quales de-
beant esse Pastores & Prædicatores E-
vangelii; ut gloriæ coronâ sint digni.
ait enim: Sint 1. Tanquam *Pastores*
ovium Christi, qui ne quidem animam
pro illis ponere dubitent; ut evangelium
illis impertiant. 2. Tanquam *Medici*,
qui magnâ adhibitâ animi lenitate,
scienter, secundum Doctrinam Domini
animatum morbos curent, in acqui-
sionem ejus, quæ est in Christo sanitatis
& per.

& perseverantiæ. 3. Tanquam *Parentes* & *Nutrices* filiorum : qui ex magnitudine *Charitatis Christi* , non solum *Evangelium* ; sed & *vitam* communicare sint parati. 4. Tanquam *Dei Adjuutores* , qui solis *Deo* dignis operibus, totos se mancipent, pro *Ecclesia Dei*. *Dei enim* sumus operarii , *Dei agricultura estis* , *Dei edificatio estis*. 5. Tanquam *Plantatores* palmitum *Dei* , qui in vite, quæ est *Christus* , nihil alienum aut infructuosum relinquunt ; sed ea quæ convenientia sunt atque fœcunda , meliora efficere studeant omni diligentia adhibita. 6. Tanquam *edificatores* templi *Dei*, qui uniuscujusque animam, ita concinent, ut fundamento *Apostolorum* & *Prophetarum* aptè congruat. O quam illustrem ejusmodi ferventibus *Pastoribus* & *Prædicatoribus* , *coronam gloriæ* dabit *Princeps Pastorum* ?

Parænesis.

QUare ô *Episcopi* ! ô *Pastores* ! ô *Prædicatores Evangelii*: sequimini *Doctrinam* & *instructionem Apostolorum*

rum

306 *Domus aternitatis. Consideratio*
rum Principis. 1. Pascite gregem ve-
strum verbo, oratione & exemplo. 2.
Pascite non amore lucri sed ex Cha-
tate Christi. 3. Pascite non necessi-
tate adacti, sed animo benevolo ac pro-
pento tracti. 4. Pascite non despoti-
cè & imperiosè; sed suaviter & pater-
nè. 5. Pascite, non ad oculum servien-
tes; sed sincerè exemplum bonorum
operum, & vitæ Christianæ, perfectæ
que exhibentes. *In omnibus prabe*
ipsum exemplum bonorum operum,
doctrina, in integritate, in gravitate
Titum. c. 2. 7. Pascite 6. Tanquam
Pastores veri, non mercenarii: tanquam
Medici solliciti & firmiores imbecilli-
tes infirmorum portantes. Tanquam
Patres, charitate pleni. Tanquam
juvatores Dei, fideles. Tanquam *planta-*
tores industrii, & Tanquam *Ædificato-*
res templi Dei, indefessi, ut crescant
templum Sanctum in Domino. Sic pro cu-
ra pastorali accipietis denarium & mer-
cedem, diadema regni cœlestis & *in-*
marcescibilem gloria coronam.

CON

CONSIDERATIO XXIX.

Præmia beatæ æternitatis.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est
in paradiso Dei mei. Apoc. c. 2. 7.

25. Junii.

SI consideremus, quàm multis variis-
que symbolis hieroglyphicis, pa-
tabolis, similitudinibus, metaphoris, Spi-
ritus S. æternam beatitudinem in Scrip-
turis divinis proponat, meritò admira-
tione tangimur: eumque laudamus,
quòd tot modis, nos ejus amore ac desi-
derio inflammare nitatur. Nam præter
hactenus dicta. Septem Angelis seu
Episcopis Asiæ, Christus Dominus sep-
tena promittit præmia, si septena divi-
cerint vitia. Apoc. c. 2. & 3. ac præmiis
singulis cœlestem gloriam adumbrat.
Nam 1, *Coronam vitæ*, quam promittit
Angelo Smyrnæ c. 2. 10. Eandem pro-
mittit v. 7. Angelo Ephesi, & vocat *lig-
num vitæ*. Eandem addicit Angelo Per-
gami, & nominat *calculum candidum*.
Eandem rursus spondet Angelo Thya-
tiræ,

308 *Domus aternitatis. Consideratio*
tiræ, & nuncupat, *Stellam matutinam,*
Angelo Sardensi, *Librum vitæ c. 3. v. 11.*
Angelo Philadelphicæ v. 12. *Columnam*
in templo Dei. Angelo Laodicæ, *sessio-*
nem in throno Christi. v. 21. Nomina
mutat Christus, ut varias beatitudinis
indiket excellentias, pro cuiusque merito
& victoria communicandas.

II. Præmium primum à Domino
promissum est *esus de ligno vitæ*; ait enim
Vincenti dabo edere de ligno vitæ; quod est
in paradiso Dei mei. Apoc. c. 2. 7. Atque
hoc præmium promittitur Episcopo
Ephesino, qui senio fractus, à primo
fervore desciverat, si fervorem pristini-
num instauret: ut hoc ligno vires senio
fatiscentes, reparet, fervoriq; priori re-
stituat. Considera autem & hîc & in
sequentibus, hoc præmium non promit-
ti, nisi *Vincenti*; nimirum *vincenti*, mun-
dum, carnem, dæmonem: *vincenti* Ty-
rannos, Paganos, hæreticos: *vincenti* ig-
naviam, teporem ac torporem, verâ po-
nitentiâ serioq; proposito, resumendi
pristinum Charitatis fervorem, & ope-
ra, eumque ita confortandi; ut dein-

ceps nulla lassitudo aut vetustas obrepat. Arque ita dignus reddatur edere de ligno vitæ, quod est Deus ac Christus Dominus noster, qui in medio paradisi fruendus proponitur, ejusque gustatio & fruitio, est ipsamet beatitudo, & inde orta immortalitas ac gloriæ æternæ possessio.

III. Secundum præmium est *corona vitæ*: de qua Dominus: *Esse fidelis, usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* l. c. v. 10. Hæc corona Episcopo Syryrensi, viro probato, perfectæque virtutis promittitur, tanquam circulus, liliis, rosæ & gemmis cælestibus, circumseptus. Moneturque ut sit *fidelis usque ad mortem*; ita ut opes, honores, sanitatem, & vitam, libens honori divino consecret; & in quibuscunque adversis, promptè de manu Dei acceptandis, acquiescat; & in his usque ad mortem perseveret; instar servi fidelis, ad nutum Domini semper paratus.

Paranesis.

O Christiane! Quis non protinus, teporem omnem excutiat, & fervorem

rem

310 *Domus aternitatis. Consideratio*
rem Charitatis renovet; ut in paradiso
coelesti, de ligno vitæ edere mereatur.
Quis non de ignavia sua pœnitentiam
agat; ne à Christo Domino, hoc fulmi-
ne pereat: *Scio opera tua, quia neque fri-*
gidus es, neque calidus: utinam frigidus es-
ses aut calidus: sed quia tepidus es, inci-
piam te evomere, ex ore meo. Apoc. c. 3. 15.
Quis etiam non sit fidelis in divino ser-
vicio? quis nullum non laborem pro e-
jus gloria alacriter suscipiat; quis non vel
ipsâ morte, pro amore Domini sui obitâ,
fidelitatem suam usque ad mortem, de-
monstret; quando certo certius coronam
vitæ æternæ ab illo recipiet, qui vocatur
verax & fidelis. Circumdabit te Deus
diploide justitiæ, & imponet capiti tuo mi-
tram honoris aterni. Baruch c. 5. 2.

26. Junii.

I. **T**ertium præmium Beatitudinis, est
Manna absconditum, & calculus
candidus, & nomen novum. Vincenti
ait, *dabo manna absconditum & dabo tibi*
calculus candidum, & in calculo no-
men novum scriptum, quod nemo scit nisi

Junis 26.

311

qui accipit. l. c. v. 17. Hæc præmia
spondentur Episcopo Pergameno, cui
luctandum erat contra timiditatem; si
eam vinceret, & facta Nicolaitarum Hæ-
reticorum, eorùmque fœdas voluptates
aboleret. Promittitur *manna*, id est
dulcedo divinitatis, quæ in cælo perci-
pitur, & sicut manna alteram Israeliti-
cum *Continet omne delectamentum, &
omnis saporis suavitatem.* Sap. c. 16. 20.
Absconditum verò, quia ejus suavitas,
hominibus in hoc exilio degentibus est
occulta, justis in cælo, eo fruentibus no-
tissima. Deinde *calculus candidus* sig-
nificat sententiam æternæ beatitudinis,
ipsamque beatitudinem, quam Christus
vincenti dabit. Cujus calculus candidus
symbolum est; velut olim dies felix, di-
cebatur *niveo signanda lapillo*: uti & sig-
num absolutionis in judicio; unde O-
vid. L. 15. Metam.

*Mos erat antiquis, niveis atrisque
lapillis,*

*Hos damnare reos, illos absolvere
culpâ.*

Et in calculo nomen novum (Filii & hæ-

Pars II.

O

redis

312 *Domus aternitatis. Consideratio*
redis Dei, & cohæredis Christi) quod
nemo scit, nisi qui accipit.

II. Quartum præmium Beatorum in
Regno cœlesti, est *Potestas super Gentes*;
quæ promittitur à Christo, Episcopo
Thyatirensi, cui pugnandum erat con-
tra imprudentiam. *Qui vicerit, & cu-
stodierit usque in finem opera mea, dabo
illi potestatem super Gentes & reget eas in
virga ferrea: & tanquam vas figuli con-
fringit eas. l. c. v. 26.* Id est: Qui præ-
cepta mea servaverit, & in opera mea,
mentis oculos jugiter intenderit, ea imi-
tatus fuerit, atque in eo perseveraverit;
ille tum in hac vita, magnam vim & ef-
ficaciam in conversione Gentium; tum
in die iudicii, quando creabuntur iudices
orbis terrarum, tum denique in cœlo,
magnam potestatem nanciscetur, in gen-
tes & nationes. *Judicabunt enim Na-
tiones & dominabuntur populis. Sap. c. 38.*
Et Calcabis impios. Malach. c. 4.

III. Propter hanc admirabilem Bea-
torum potestatem in Gentes, ingenti læ-
titia perfundentur; propter hanc enim:
Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur

in cubilibus suis. Psal. 149. Videntestantam se nactos potestatem, super Reges, Principes, Tyrannos, cunctosque hostes suos; à quibus vexati & afflicti fuerant, eosque tanquam vasa testacea inutilia confringent. Additur deinde & alterum: *Dabo tibi stellam matutinam*, id est Christum, qui de se ait: *Ego sum stella splendida & matutina.* Apoc. c. 22. 16. De qua Num. c. 24. *Orietur stella ex Jacob*; quæ in cælo Beatis clarissimè illucescet, & tenebras mortalitatis dispellet. O qualia & quanta hæc sunt præmia!

Obsecratio.

O Redemptor amantissime, ego te per veracitatem & fidelitatem tuam infinitam, obsecro & obtestor; da mihi gratiam vincendi omnes obscænas voluptates, ut te manna absconditum degustare merear: da gratiam oppugnandi & convertendi gentes & hæreses; ut calculum candidum æternæ felicitatis obtineam, & nomen novum, ac testimonium, quod spiritus sanctus reddit

314 *Domus aeternitatis. Consideratio*
spiritui nostro, quod simus filii Dei.
Rom. c. 8. 16. Et quod nomen nostrum
scriptum sit in libro vite. Apoc. c. 20. 15.
O stella matutina! orta tanquam Lucifer
ad tenebras ignorantiae, tristitiae & cul-
pae dispellendas; obsecro te, per viscera
misericordiae tuae, fac me quoque stellam
matutinam, quae lumine vitae ac doctri-
nae, quam plurimos illustret, in Ecclesia
militante; ut postea quoque sim stella
matutina, tibi lucens, teque aeternum ob-
lectans, in Ecclesia triumphante.

27. Junii.

I. Praemium quintum Victoribus pro-
missum, est *Vestimentum album*:
hoc promittitur Episcopo Sardensi, cu-
jus opera non erant plena coram Deo,
& vestimenta erant inquinata peccatis,
ideoque hortatur illum Dominus, ad a-
gendam poenitentiam; ut eam peractam, de-
nuo vestiatur vestibus albis, id est, vesti-
mento innocentiae, puritatis, sanctitatis
& gloriae caelestis; quemadmodum in
baptismo candidam vestem obtinuit,
quam iussus est illibatam, deferre ad ven-
turum

turum Judicem. Sancti enim in cœlo erunt *amicti stolis albis*, [immortalitatis, claritatis & gloriæ] & *palmae in manibus eorum*. Apoc. c. 7. 9. Maximâ bonæ conscientiae jucunditate fruentes. Additur & Alterum, *Non delebo nomen ejus de Libro vita. l.c.* Sed dabo donum perseverantiae, nec sinam in peccata relabi, & in damnationem ruere. Verùm *Confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. c. 3. 5.* Agnoscam enim illum servum meum, efficiamque ut propter peccata præterita, pœnitentiâ deleta non erubescat, & confundatur; sed gloriosum reddam eum coram Deo Patre meo & Angelis ejus.

II. Præmium sextum est, esse *Columnam in templo Dei*. Episcopo enim Phœladelphiae, modicâ virtute prædito, & in bono, inconstanti, si vicerit defectus suos, promittit Christus: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Apoc. c. 3. 12. Sed perstabit firmus in virtute ac victoria tentationum, instar columnarum duarum, *Booz & Jachin in*

O ;

tem-

316 *Domus aeternitatis. Consideratio*
templo Salomonis, 3. Reg. c. 7. 21. quæ
erectæ erant, velut trophæa Davidis.
Eritque magnus, tam in Ecclesia mili-
tante, quàm triumphante. *Et foras non*
egredietur amplius: sed munitus dono
perseverantiæ perstabit ut columna, ac
denum firmabitur in cœlesti gloria; è
qua non egredietur foras in æternum.

III. Præmium septimum est, *sedere*
in throno. Sic enim Dominus Episco-
pum Laodiciæ, tepidum, & inter virtu-
tes ac vitia fluctuantem excitat atque
animat. *Qui vicerit, dabo ei sedere me-*
sum in throno, sicut & ego vici, & sedi in
throno, cum Patre meo. l. c. c. 3. 21. Id est,
faciam illum participem regni cœle-
stis, in quo Beatis lux æterna, requies
perfecta, & gaudium inenarrabile ob-
veniet. Labor brevis requies, sessio &
thronus perennis.

Colloquium.

O Anima mea! Cupisne amiciri ve-
stimentis albis, esse columna in
templo Dei, & in throno cœlesti, confi-
dere cum Christo, cæteraque prædicta
præ-

præmia, quæ velut gemmæ, in corona vi-
 ta & gloria, radiant, obtinere? Vide, ut
 opera tua sint coram Deo plena: cave,
 ne inquinata sint tua vestimenta pecca-
 torum maculis, cave inconstantiam in
 bono, ac lepiditatem; viriliter certa bo-
 num certamen, apprehende vitam æter-
 nam: nullus tibi labor durus, nullum
 tempus longum videatur, cui cælum, cui
 æternitas, cui thronus & corona glorio-
 sa promittitur. Hanc tibi plecte & per-
 texe, continuis virtutum heroicarum &
 perfectarum facinoribus. *Virtus enim
 perfecta, omnibusque numeris absoluta,
 coronam vincens, & mercedem nobis
 expetenda immortalitatis impendit.* La-
 stantius. L. 4. de vera sap. c. 16.

CONSIDERATIO XXX.

Cumulus omnium gaudiorum, beata
 æternitatis.

*Gaudete & exultate, quoniam merces ve-
 stra copiosa est in cælis. Matth. c. 5. 12.*

28. Iunii.

CONsideremus nunc paulisper &
 per anacephalæosin retexamus
 brevi-

Q 4

318 *Domus eternitatis. Consideratio*
breviter, cuncta antedicta gaudia; & cla-
rè videbimus, quàm merces copiosa,
quàm mensura bona, & conferta, & co-
agitata & superfluens sit, quam Divina
Liberalitas effundit in sinum fidelium
servorum suorum: tantùmque Remu-
neratorem ex toto corde amabimus,
laudabimus, & eidem in sanctitate &
justitia serviemus, omnibus diebus vi-
tæ nostræ.

I. O quæ lætitia, quæ voluptas erit
cum beatis cœli civibus degere in illa
cœlesti Hierosolyma adeò speciosa, au-
rea, gemmea? Vivere in domo beatæ æ-
ternitatis, adeò fulgida, ampla, munda,
sancta, gloriosa? in palatio amœnissimo,
saluberrimo, ac magnificentissimo? in
mansionibus diversis, charitate & læ-
titiâ plenis; quarum comparatione
omnia mundi hujus palatia, utut magni-
fica, non nisi casæ rusticanæ, aut nidi hi-
rundinum meritò censeantur?

II. O quæ lætitia, quæ voluptas erit!
stabiliter cohabitare, dulciter collo-
qui, & conversari familiariter, cum san-
ctissima Trinitate, cum Domino Deo,
ac

ac Redemptore nostro Jesu Christo, cum pretiosissima Christi Matre, cum Sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus & universa, tam nobili, tam castâ, & sancta Cœlitum Societate?

III. O quæ lætitia, quæ voluptas erit! amœnissimâ illâ luce æternâ perfrui; videre pulchra, quæ oculus non vidit; audire jucunda, quæ auris non audivit; gustare dulcia, olfacere suavia, tangere & percipere lenia, quæ in cor hominis non ascenderunt? In illa terra lacte & melle manante perennare, in oceano voluptatis natâre & omnibus Domûs Dei bonis abundare sine fastidio, sine termino, in omnem æternitatem?

Desiderium.

O Domus beata, æterna, non manufacta in cœlis! ô Jerusalem speciosa ô mansiones amabiles ac desiderabiles! Quando nam ascendam ad vestras delicias ineffabiles? *Quam dilecta tabernacula tua Domine!* Quam dilecta, quam sancta, quam jucunda cœlestis Societas!

O s

Quam

320 *Domus aternitatis. Consideratio*
Quàm dulcis & copiosa sensuum oble-
tatio & refectio ! Hujusmodi , nec ca-
pis , nec vides nunc , Anima mea ; sed
*Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & di-
latabitur cor tuum. Isaia c. 60. 5.*

29. Junii.

I. **C**ONsideremus ulterius *mensuram*
confertam & coagitatam cœle-
stium bonorum & gaudiorum. O quæ
lætitia, quæ voluptas erit animæ & cor-
pori Beatorum, vivere semper, cum a-
mantissimo Deo suo, cum Sanctis Dei
amicis ; jubilare Deo cum Sanctis, mer-
cedem laborum suorum recipere cum
Sanctis ; frui amœnissima pace, omnem
sensum superante ; potiri jucundissimâ
reque, ex omnimoda cordis satietate
resultante ; in medio sanctorum Angelo-
rum & Hominum beatorum, ordine pul-
cherrimo dispositorum, absque omni
turbatione aut confusione ?

II. Quæ lætitia, quæ voluptas erit, fon-
te vitæ æternæ potari ; inebriari ab u-
bertate Domûs Dei, ebrietate sanctâ, or-
tâ ex torrente voluptatis, & ex vitæ æter-
næ

næ deliciis: corpus antea mortale & miserum, obscurumque, in cælo ornari dotibus quaternis, præclarissimis, immortalitatis, subtilitatis, agilitatis & Claritatis, solis instar radiantis?

III. Quæ lætitia, quæ voluptas erit, admirabili lumine gloriæ à Deo illustrati, eoque confortante, mentis oculis Majestatem divinam, facie ad faciem intueri, atque in ea tam multa, tam varia, tam jucunda, tam admiranda conspiceret: Deum summum bonum nostrum, amore dulcissimo & æterno complecti: deque ejus ac nostris, Sanctorumque omnium bonis, toties, quot sunt Sancti, multiplicato gaudio, jubulare & exultare? atque ita plenam memoriæ, intellectus & voluntatis satietate æternum gaudere.

Affectus gaudii.

O Vita beata! ô jubilatio læta, merces magna, pax amœna, requies opulenta, ordo & dispositio cœlestium Spirituum stupenda; quanto gaudio de vobis cogito! O inebriatio sancta! ô dotes

322 *Domus eternitatis. Consideratio*
dotes gloriosæ! quanto solatio vos con-
sidero! Quanta aviditate ad vos anhelol
ô lumen gloriæ! ô visio beatifica! ô amor!
ô gaudium! quando apparebo ante fa-
ciem Dei; ut dilectum meum, videam,
amem, & de eo gaudeam sine fine, cum
omnium animæ potentiæ satietate?
O Domine, *Educ de custodia* (& carcere
corporis) *animam meam, ad confitendum*
nomini tuo: me expectant iusti, donec re-
tribuas mihi. Psal. 141. 8.

30. Junii.

I. **C**ONSIDEREMUS denique reliqua cœ-
li gaudia, & ampliùs cognosca-
mus liberalitatem divinam, exiguis me-
ritis nostris refundere *mensuram*, non
solùm coagitatam ac plenam; sed etiam
superfluentem. Quæ lætitia, quæ volup-
tas erit, in cœlesti patria, ornari fulgidâ
Martyrum, Virginum ac Doctorum au-
reolâ? Admitti in Civitatem sanctam,
Jerusalem novam, & sponsæ instar or-
natam, novâque semper & nova, totâ æ-
ternitate, in ea percipere gaudia? De-
sponsari cum Christo, admitti ad nup-
tias

tias cœlestes, conviviumque nuptiale, ad cœnam magnam, reperire thesaurum absconditum, indeficientem, infinitum; comprehendere bravium; adipisci regnum, & coronam beatæ æternitatis immarcessibilem reportare?

II. Quæ lætitia, quæ voluptas erit, cum Sanctis omnibus, edere de ligno vitæ, posito in medio paradisi; redimiri coronâ vitæ, gustare manna absconditum, obtinere calculum candidum, nomen novum, & potestatem super Gentes; nitere vestimentis albis, esse columnam in templo Dei, sedere in throno & regnare in æternum cum Christo?

III. Ad extremum, mensuram omnino plenam, & redundantem ac superfluentem efficiunt, gemmæ duodenæ, coronæ gloriæ & æternitatis infixæ, ac perpetuò instar stellarum duodecim radiaturæ. 1. Sanitas sine ægritudine. 2. Plenitudo sine defectu. 3. Refectio sine fastidio. 4. Scientia sine ignorantia. 5. Gaudium sine tristitia. 6. Pax sine perturbatione. 7. Securitas sine timore. 8. Adimpletio omnium desideriorum.

9. Læ-

324 *Domus aternitatis. Consideratio*
9. Lætitia, de justitia Dei & pœna malorum. 10. Gaudium de Societate justorum. 11. Gaudium ex consideratione bonorum operum propriorum. 12. Gaudium ex liberatione perpetuâ, omnium malorum. *Gaudete igitur & exultate, quoniam merces vestra, verè copiosa est in cœlis.*

Colloquium.

O Quis mortalium, labores, sudores, adversitates, persecutiones, martyria & mortes, licet crudelissimas, magnificat: si æternas hæc corollas si præmia tam multa ac magnifica, si gemmas omnibus adamantibus, & carbunculis infinitè pretiosiores rite perpendat? An non jure exclamabit cum Paulo: *Non sunt condigna passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis?* Rom. c. 8. 18. Nonne copiosa merces & abundans foret compensatio, si pro omnibus bonis operibus nostris, Liberalitas divina, vel unicum ex omnibus cœli gaudiis, centum annorum millibus fruendum, indulgeret? Quanta igitur
mer.

merces est, quantum præmium, cumulo
 omnium gaudiorum cœlestium simul
 frui, idque per totam æternitatem? O
 immensa Remuneratoris nostri Libera-
 litas, beneficentia ac benignitas! Verè
*Momentaneum & leve tribulationis no-
 stra, supra modum in sublimitate, eter-
 num glorie pondus operatur in nobis. 2.
 Corinth. c. 4. 19.*

Affectus

Ad beatam Æternitatem.

O Ter felix, ter beata Æternitas!
 omnium votorum, desideriorum
 ac suspiriorum meorum scopus & meta:
 tu eris mihi in omni afflictione solatium,
 in lassitudine vehiculum, in tentatione
 frœnum, in tepiditate, calcar fortissi-
 mum; in infirmitate alexipharmacum,
 in morte præmium, in cœlo corona &
 bravium. Tu omnes voluptates, om-
 nes opes, omnes honores, perfectissimè,
 eminentissimèque complecteris, ac du-
 ratione tuâ interminabili, infinitè auges
 & elevas. Quis, nisi amens, aut cæcus,
 omnia mundi bona, tanquam puero-
 rum crepundia, præ te non despiciat?
 quis

326 *Domus eternitatis. Consideratio*
quis non omnia terrena ut lutum , pedi-
bus conculcet , & arbitretur ut stercora,
quò te lucrifaciat ? O æternitas beata!
semper nova , nunquam antiqua ; sem-
per eadem, nunquam alia , nunquam di-
versa, nunquam terminanda ! tu semper
regna , semper juba , semper impera,
& triumpha ! Æternitati laudes , æterni-
tati gratias , æternitati triumphales ho-
nores ! Ego te , mihi, meis, & omnibus
terrigenis animitus opto , te spero, te di-
ligo, te omni studio, labore, sudore, san-
guine & morte comparare desidero ; ut
possideam te, fruam te, delecter in te &
delectem te sine fine , ô Æternitas sub-
stantialis, fons, origo & mensura omnis
temporis & æternitatis , Deus meus &
omnia ? *Quàm dilecta tabernacula tua,
Domine, concupiscit & deficit anima mea
in atria Domini. Cor meum & caro mea
exultaverunt in Deum vivum. Psal. 83.
1. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid
volui super terram? Defecit caro mea &
cor meum , Deus cordis mei, & pars mea
Deus in æternum. Psal. 72, 25.*

INDEX

I N D E X.

Considerationum II. Partis.

C onsideratio 1. Domus beatæ æternitatis.	pagina 5.
2. Primus ingressus Domûs beatæ æternitatis.	16.
3. Mansiones Domûs beatæ æternitatis.	28.
4. Societas beatæ æternitatis.	40
5. Dies & lux beatæ æternitatis.	50
6. Visus beatæ æternitatis.	61
7. Auditus beatæ æternitatis.	72
8. Justus beatæ æternitatis.	82
9. Odoratus beatæ æternitatis.	92
10. Tactus beatæ æternitatis.	102
11. Satietas beatæ æternitatis.	112
12. Vita beatæ æternitatis.	121
13. Pax beatæ æternitatis.	131
14. Requies beatæ æternitatis.	140
15. Ordo beatæ æternitatis.	152
16. Abundantia beatæ æternitatis.	163.
17. Quatuor dotes beatæ æternitatis.	174

Pars II.

P

18. Vi-

I N D E X


18	Visio beatifica beatæ æternitatis.	187
19	Amor beatificus beatæ æternitatis.	198
20	Gaudium beatificum beatæ æternitatis.	209
21	Aureolæ beatæ æternitatis.	223
22	Jerusalem civitas beatæ æternitatis.	233
23	Nuptiæ beatæ æternitatis.	244
24	Theſaurus beatæ æternitatis.	254.
25	Bravium beatæ æternitatis.	264
26	Cœna magna beatæ æternitatis.	275
27	Regnum beatæ æternitatis.	285
28	Corona beatæ æternitatis.	295
29	Præmia beatæ æternitatis.	307
30	Cumulus omnium gaudiorum Domûs beatæ æternitatis.	317





Erro-


Errores Typographici.


Pag. 7. lin. 19. Alcimoni corrige Alcinoi
p. 10. l. 13. globolus c. globulus. p. 11.
l. 6. & c. est. pag. 15 l. 20. reficiam c. reficiar
p. 23 l. 7. locum c. horum p. 27. l. 10 illum
c. illam p. 53. l. 6 pellucitè c. pellucido p.
56. l. 2 est c. & p. 74. l. 17. Willehedo c. Wil-
lehado p. 76. l. 11. cer-um c. certum ibid.
l. 17. omnimque c. omnémque p. 80. l. 23
fier c. fieri p. 86. l. 14 Vitis c. vilis ibid. l. 16
debachatio c. debacchatio p. 88. l. 3. aliis
c. allis p. 100. l. 21. profundissima c. pro-
fundissima p. 104. l. 20. palmo c. pulmo
p. 106. l. 20. pleuris c. pleuritis p. 138. l. 24.
vita c. via p. 152 l. 18 sapæam c. sabæam
p. 163. l. 19. cogitatom c. coagitatom p.
168. l. 3. familia c. famelica p. 175. l. 17.
mortem c. montem p. 202. l. 10. percipeat
c. percipiat p. 205. l. 3. Confirmationis c.
conformationis p. 214. l. 17. permanat c.
promanat p. 224. l. 21 Agomothetes c.
Agonothetes p. 235 l. 23 virtus c. virtuti-
bus p. 236. l. 22. Istar c. instar p. 246. l. 25. est
c. & p. 248. l. 11. est c. & p. 252. l. 26. Princi-
palus c. principatus p. 263. l. 6. limus c. li-
mas p. 268 l. 6. imitante c. imitantes p.
272 l. 4. da c. ad p. 276. l. 24 exigue c. exi-
guæ p. 298. l. 9 extere c. exere p. 301. l. 3. ab-
solutum c. absolutam p. 317. l. 6. lepidita-
tem c. repiditatem p. 324. l. 8. cæli c. coelis.
In indice Lin. 11. justus c. gustus.

















Th 2929

